MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80404-8

AUTHOR:

JACOBY, FELIX

TITLE:

DE APOLLODORI ATHENIENSIS...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1900

Master Negative #
91-80404-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Jacoby, Felix, 1876-
De Apollodori Atheniensis Chronicis. Berolini, Hermann, 1900.
32 p.

Thesis, Berlin.
Volume of pamphlets.


1. Apollodorus Atheniensis. Chronica.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 M REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12/27/91 INITIALS RD
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT









AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202









no. 3

DE
APOLLODORI ATHENIENSIS CHRONICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

DIE XVII. M. DECEMBRIS A. MDCCCC

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
FELIX JACOBY
MAGDEBURGENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
EMIL HERKENRATH, STUD. PHIL.
WILHELM VOLLGRAF, CAND. PHIL.
BRUNO RAPPAPORT, DR. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT H. S. HERMANN.

Dissertationem,

Cuius pars hoc libello continetur, totam lingua vernacula scriptam seorsum editurus sum.

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Quisquis de libro non servato disputaturus est, consentaneum est eum proficisci a colligendis ordinandis explicandis eius libri quotquot supersunt fragmentis. hoc ego, cum in Apollodori Chronica inquirerem, perfeci, speroque me mox novam eamque pleniorem fragmentorum syllogen editurum esse. interim hoc loco ea tantum inde proponam, quae ad melius cognoscendam operis Apollodorei indolem conferant.

Scripsit autem de Apollodori Chronicis post C. Muellerum [FHG I p. XLIII sq.], qui, etsi multa parum recte administravit, tamen debita laude non fraudandus est, cum fragmentorum syllogen confecerit eam, qua adhuc utimur [l. l. p. 435 sqq.], imprimis Dielesius Rhein. Mus. XXXI. 1876. p. 1 sqq., qui primus et in universum de Chronicis et de fragmentis eorum nonnullis ita disputavit, ut prorsus mirum sit non diu exstitisse, qui viri illius doctissimi vestigiis insistens omnia Chronicorum fragmenta collegerit. praeter Dielesium commemorandi sunt C. Wachsmuthius De Eratosthene Apollodoro Sosibio chronographis 1892 p. 18 sqq. Einleit. in das stud. d. alt. gesch. 1895 p. 131 sqq. et E. Schwarzius apud Pauly-Wissowa I. 1894. col. 2857 sqq. scripsit de Chronicis etiam G. F. Ungerus Philol. XLII. 1882. p. 602 sqq., sed ita ut exorsus ab interpretationibus artificiosis pergeret ad coniecturas audacissimas et desineret in meras ineptias. cuius totum aedificium nititur uno tibicine, Apollodori fr. 87[1]) [= Syncell. p. 523, 5] male explicato. quo sublato corruat necesse est tota eius ratio. quae cum ita sint, piget eum per omnia singillatim refellere. immo tota nostra demonstratio tacita est istarum nugarum refutatio.

Priusquam autem in ipsas ingradiar quaestiones, pauca praefabor de Apollodori vita.

---

[1]) Numeris utar editionis meae adiectis Muellerianis, ubi fieri potest (multa enim omisit ille), plerumque etiam scriptorum locis, ubi nunc exstant fragmenta.

1.
De Apollodori vita.

Apollodorus Diogenis stoici, quem a. 156/5 iam senem nobilis illius philosophorum legationis participem factum esse scimus quemque non post a. 150 diem obiisse verisimile est, discipulus fuit Athenis[2]; postea haud ita breve tempus Aristarchi, qui a. 146 Alexandria expulsus est, disciplinam secutus est non tam discipulus, quam collega atque socius operis[3]. denique Panaetii, qui circa a. 180 natus est eiusdemque Diogenis, quem Apollodorus quoque audiverat, discipulus fuit[4], aequalem potius atque amicum fuisse chronographum, quam discipulum, ut Suidas tradit[5], e Philodemi testimonio[6], quod sine dubio ad Stratoclem Rhodium revocandum est: **ὁ δὲ Παναίτιος καὶ τὸν γραμματικὸν Ἀπολλόδωρον ἀπ[εδέχετο]** concludimus, ita ut circa a. 180 aut paullo post eum natum esse verisimile sit. cf. Susemihlium Alex. Litt. II. 1892. p. 35, 23. Muenzelium apud Pauly-Wissowa I. 1894. col. 2855 sq. de annis autem eius extremis deque anno fatali etsi nihil constat, tamen nulla est causa, cur circa a. 110 in vivis eum fuisse negemus, praesertim cum ad hoc fere tempus deducamur alio Apollodori libro, quem Athenaeus XIV p. 636 F commemorat: „**Ἀπολλόδωρος δ᾽ ἐν τῇ πρὸς τὴν Ἀριστοκλέους Ἐπιστολὴν Ἀντιγραφῇ.**“ scripsit enim Aristocles ille post Ptolemaeum Physconem [145—116]; non tamen idem est atque Aristocles Rhodius Strabonis aequalis [Strab. XIV p. 655]. nulla igitur hac quidem ex parte causa est, neque cur cum C. Muellero FHG IV p. 332, Susemihlio Alex. Litt. I p. 527, 63. 529. Philol. LVII. 1898. p. 321 sq. Schwarzio apud Pauly-Wissowam I col. 2863 (qui, cum dubitantius loquatur, non sibi constat in definiendis Apollodori temporibus) negemus Apollodorum Atheniensem ab Athenaeo designari [cf. Meinekium Anal. crit. ad Athenae. 1867 p. 309. Wenzelium ap. Pauly-Wissowa II col. 936 sq.] neque cur cum Volkmanno ad Plut. d. mus. p. 150, Rohdio de Iulii Pollucis fontt. 1870. p. 42, 3, Bappio Leipz. Stud. VIII. 1885. p. 88 sqq., Tanneryo Rev. d. étud. grec. IX. 1896. p. 23 sqq. apud Athenaeum pro **ἐπὶ τοῦ δευτέρου Εὐεργέτου** scribamus **πρώτου**.

---

2) Ps. Scymn. v. 20.

3) id. v. 21 *»συνεσχολακὼς δὲ πολὺν Ἀριστάρχωι χρόνον.«* Suid. s. *Ἀπολλόδωρος Ἀσκληπιάδου.*

4) Ind. Stoic. Herc. col. LI 2. Suid. s. *Παναίτιος.*

5) s. v. *Ἀπολλόδωρος.*

6) Ind Stoic. Herc. col. LXIX 3.

2.
De Chronicorum Nomine.

Apollodori Atheniensis grammatici nobilissimi opus chronographicum, **Χρονικά** inscriptum fuisse cum cetera docent fragmenta, in quibus quadragies novies[7] hoc nomine insignitur — aliud nomen omnino non apparet[8] — tum plane testatur Gellius his verbis[9]: »sed Apollodori, scriptoris celebratissimi, hos de Menandro versus legimus in libro, qui Chronica inscriptus est.« neque dubium est, quin ab ipso Apollodoro hic titulus profectus sit.

3.
De Librorum Discriptione.

Librorum discriptio ex uno Stephano Byzantio cognoscitur, nisi quod liber tertius bis a Diogene[10] affertur. quattuor citat ille libros neque plures fuisse constat, cum libro quarto res a. 125/1 gestas enarrasse Apollodorum e fr. 112—116[11] colligatur. in quattuor hos libros quomodo materiam digesserit chronographus, e fragmentis certo non constat nisi de duobus libris prioribus, e quibus alterum annos inde a Troia eversa [a. a. Chr. 1184/3] usque ad Xerxis expeditionem [a. 480/79][12], alterum annos inde a Xerxis expeditione usque ad Alexandri Magni mortem [a. 324/3][13] complexum esse apparet[14],

---

7) Fragm. 12. 15. 17. 28. 31. 32. 34. 36. 39. 42. 46. 48—50. 55. 59a. 62—65. 67. 69—71. 76. 78—80. 84. 85 a b. 86. 89. 91. 93. 95—97. 99. 109—113. 115. 116. 119. 120. 124.

8) Non enim libri titulum, sed auctorem designant fr. 41. [90 M. Diodor XIII 103, 5] „*ὁ τὴν χρονικὴν σύνταξιν πραγματευσάμενος*“ et fr. 81 [Philodem. *περὶ τῶν φιλοσ.* VH[1] VIII col. XI 4] *»ὁ τοὺς τόπους καὶ τοὺς χρόνους ἀναγράψας«.* grammaticus audit Apollodorus in fr. 4 k [Hieron. chron. s. a. Abr. 1104] et fr. 46 [87 M. Diog. VIII 52], historicus in fr. 1 c [Tzetz. exeg. in Iliad. p. 18, 14 Herm.], *χρονικὸς* in fr. 122 spurio [70 M. Syncell. p. 171, 4].

9) XIV 4, 5 [Apoll. fr. 80 = 96 M].

10) fr. 69. 70 [99 M] = Diog. IV 23. 28.

11) Steph. Byz. s. *Αἰδούσιοι. Ἀρόερνοι. Ἀλλόβρυγες. Φαβία. Ἀερία.*

12) Fragm. 31 [48 M. Steph. s. *Μυοῦς*] ad Ioniam conditam spectat aut ad bellum Ionicum aut ad Themistoclem: fr. 32 [49 M. Steph. s. *Χήσιον*] ad Ioniam conditam; fr. 34 [45 M. Steph. s. *Δύμη*] ad annos 668/5; fr. 36 [47 M. Steph. s. *Ἕλωρος*] ad pugnam apud Helorum a. 491 factam.

13) Fr. 48 [52 M. Steph. s. *Παρπάρων*] e vita Thucydidis petitum est; fr. 63. 64 [50. 51 M. Steph. s. *Μεναί, Νόαι*] e Ducetii historia a. 459/8 et a. 451/0; fr. 65 [53 M. Steph. s. *Ὕκαρον*] ad expeditionem Siciliensem a. 415/4; fr. 67 [55 M. Steph. s. *Χαιρώνεια*] ad pugnam apud Chaeroneam a. 338/7 commissam spectant.

14) Libros I. II recte iam circumscripsit C. Muellerus FHG I p. XLIII.

ita ut duo hi libri idem temporis spatium comprehenderint atque Eratosthenis *Χρονογραφίαι*. contra anni inde a morte Alexandri Magni usque ad exitum Chronicorum, cuius de termino non constat — certe usque ad a. 120/119 producta sunt[15]) — quomodo inter duos libros posteriores distribuendi sint, dubium est; cum e libri tertii fragmentis nullum sit, quod certo infra a. 219 nos ducit[16]), libri autem quarti fragmenta quotquot libri numero adiecto exstant omnia res post a. 145/4 gestas commemorent[17]), si quis rationem habuerit prioris Chronicorum editionis, quam annos inde ab 1184/3 usque ad 145/4 complexam esse constat, contendat fortasse[18]) Apollodorum libro tertio rerum inde ab a. 324/3 usque ad a. 145/4 gestarum memoriam colligasse, quartum autem, quo novissimam suae aetatis historiam enarravit, mantissae instar aliquot annis post adiecisse.

4.
De Duabus Chronicorum Editionibus.

Apollodori Chronica initium sumpsisse a Troiae captae epocha, i. e. ab a. 1184/3[19]), et Scymnus[20]), qui vulgo dicitur, et Diodorus[21]), cuius de loco infra accuratius inquirendum erit, testantur. qua in re Eratosthenem[22]) secutus est chronologus Atheniensis; ipse autem Eratosthenes, cum sic circumscripsit spatium quod dicunt historicum,

15) v. § 4.

16) Fr. 69 [Diog. IV 23] e Cratetis, qui Academiae praefuit inde ab a. 270/69, vita; fr. 70 [99 M. Diog. IV 28] ex Arcesilai vita, qui circa a. 268 Cratetem excepit; fr. 89 [56 M. Steph. s. *Ἁμαξιτός*] inter a. 323 et a. 301 collocandum est; fr. 91 [57 M. Steph. s. *Λίγγος*] ex a. 279/6; fr. 93 [58 a M. Steph. s. *Ζάκανθα*] ex a. 219. de fr. 96. 97 [58 M. Steph. s. *Μέσμα*, *Λήναιος*] certo non constat.

17) Fragm. 109 [64 M. Steph. s. *Καινοί*] ex anno circiter 140, ut videtur; fr. 110 [63 M. Steph. s. *Δῶρος*] ex a. 139/8; fr. 111 [61 M. Steph. s. *Ἀμήστρατος*] ex a. 135/2; fr. 112—116 [60. 62. 127. 54. 59 M. Steph. s. *Αἰδούσιοι*, *Ἀρόερνοι*, *Ἀλλόβρυγες*, *Φαβία*, *Ἀερία*] ex a. 125/1. de fr. 119. 120 [65. 46 M. Steph. s. *Χαλκητόριον*. *Ἀσσώριον*] dubito, num ad librum IV pertineant.

18) Cuius rei me monuit Wilamowitzius.

19) Fr. 1 a b = 73 M. [Euseb. chron. I p. 190, 23 Sch. Diodor. I 5, 1.]

20) v. 22 sq. „*Συνετάξατ' ἀπὸ τῆς Τρωικῆς ἁλώσεως*
Χρονογραφίαν στοιχοῦσαν ἄχρι τοῦ νῦν βίου."
scriptorem, quem versuum suorum exemplum elegit geographus ille, Apollodorum fuisse inde a Thomae Galei temporibus [Histor. poet. script. ant. 1675. p. 43 sq.] convenit inter viros doctos, quibus frustra oblocutus est Ungerus l. l.

21) I 5, 1.

22) Eratosth. ap. Clem. Al. Strom. I 138 p. 402 P.

Ephori[23]) habuit exemplar, etsi hic ab Heraclidarum demum reditu, quem in anno post Troiam captam sexagesimo fere collocavit, scribendi fecit initium. in chronologiam tamen primus hos terminos induxisse videtur Eratosthenes, siquidem Marmor Parium, quo antiquissima chronica nobis servata sunt, sicut Hellanicus aliique saec. V. scriptores, inclusit tempus mythicum rebus inde a Cecrope enarratis, quia auctor eius ab Atthide quadam fastisque Atticis pendet. contra e terminis, quibus Chronica sua circumscripserunt et Eratosthenes et Apollodorus, simul elucet eos maxime id studuisse, ut Graecorum enarrarent res gestas, sprevisse fabulosam Asiaticorum chronologiam et ipsorum Graecorum archaeologiam, quippe quam ad chronologiae calculos vocari posse negarent. non tamen ultra Apollodorum sanum hoc duravit consilium a chronographis strictius etiam servatum quam ab Ephoro ipso[24]), cum iam Castor, quem summa auctoritate apud posteros floruisse scimus[25]), paucis post Apollodorum annis omnia, quae ille ut nimis incerta excluserat, opere suo comprehenderet[26]).

Apollodori Chronica annos 1040 complexa esse, i. e. usque ad a. 145/4 perducta esse, Scymnus[27]) memoriae tradit. at diu notum erat fragmentum illud Chronicorum, quod exstat apud Diog. Laert. IV 65[28]), ubi Carneades philosophus mortuus esse dicitur secundum Apollodorum a. 129/8. unde iam Bergkius[29]) et post Bergkium, qui eius disputationem non noverunt, Bahnschius[30]) et Dielesius[31]) iusto

23) Diodor. IV 1, ubi de difficultatibus, quas spatii mythici historia praebet, disserit: „*διόπερ τῶν μεταγενεστέρων ἱστοριογράφων οἱ πρωτεύοντες τῆι δόξηι τῆς μὲν ἀρχαίας μυθολογίας ἀπέστησαν διὰ τὴν δυσχέρειαν, τὰς δὲ νεωτέρας πράξεις ἀναγράφειν ἐπεχείρησαν. Ἔφορος μὲν γὰρ ὁ Κυμαῖος, Ἰσοκράτους ὢν μαθητής, ὑποστησάμενος γράφειν τὰς κοινὰς πράξεις, τὰς μὲν παλαιὰς μυθολογίας ὑπερέβη, τὰ δ' ἀπὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου πραχθέντα συνταξάμενος ταύτην ἀρχὴν ἐποιήσατο τῆς ἱστορίας. ὁμοίως δὲ τούτωι Καλλισθένης καὶ Θεόπομπος, κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν γεγονότες, ἀπέστησαν τῶν παλαιῶν μύθων.*" de Ephoro cf. Diodor. XI 26. Suid. s. *Ἔφιππος*. Ephori fr. 2. FHG I p. 234.

24) Quo de cf. E. Meyerum Forsch. zur alt. gesch. I. 1892. p. 122. 186 sq. Wachsmuthium Einleit. p. 504.

25) cf. Wachsmuthium l. l. p. 141 sq.

26) cf. Wachsmuthium l. l. p. 140.

27) v. 24 „*Ἔτη δὲ τετταράκοντα πρὸς τοῖς χιλίοις*
ὡρισμένως ἐξέθετο."

28) Fragm. 99 [102 M.] „*Φησὶ δ' Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικοῖς ἀπελθεῖν αὐτὸν* [Carneadem] *ἐξ ἀνθρώπων ἔτει τετάρτωι τῆς δευτέρας καὶ ἑξηκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος, βιώσαντα ἔτη πέντε πρὸς τοῖς ὀγδοήκοντα.*"

29) Programma Halense. XXVIII M. Iulii a. 1865 p. 5, 3.

30) De Diog. Laert. fontt. 1868. p. 46.

31) l. l. p. 5. 54.

iure effecerunt alteram factam esse Chronicorum editionem[32]). cuius quod magnam etiam nunc legimus partem et quod terminum, ad quem perducta est, artius circumscribere possumus, Roepero[33]) debemus, quippe qui perspexerit servatos esse in Indicis Academicorum Herculanensis a Philodemo compositi col. XXVI—XXXII[34]) Apollodori versus et eos ne in prosaicam quidem orationem conversos. quo Roeperi invento nisus Gomperzius[35]), qui pleniorem horum versuum ex apographo Oxoniensi edidit textum, certo usque ad a. 120/19 (ipse parum recte 119/8 dedit) productam esse statuit Chronicorum editionem alteram — quod iam ante Roeperum ex aliis fragmentis, quae apud Stephanum servantur, acute perspexerat idem Bergkius[36]) — cum in fr. 107 Boethus Academicus decem post Carneadem annis archonte Eumacho i. e. a. 120/119 diem obiisse diceretur. ultra hunc terminum num narrationem provexerit Apollodorus, ut Roeperus[37]) censuit Clitomachi quoque mortem, quae a. 110/9 adscribenda esse videtur[38]), ab Apollodoro commemoratam esse suspicatus, equidem non diiudicaverim, etsi, quantum quidem ad vitae Apollodori tempora attinet, nihil huic coniecturae obstare puto. id quidem extra dubium positum est Apollodorum, cum senex iam versaretur Athenis[39]), alteram fecisse Chronicorum editionem — nimirum quia omnium iudicio probari vidit opus suum — et eam „*στοιχοῦσαν ἄχρι τοῦ νῦν βίου*“, in qua fusius, ut fieri

---

[32]) Editionis secundae et rem et nomen non ignota fuisse antiquis *ἡ ἐπεκδοθεῖσα διόρθωσις* Aristarchi docet, de quarum editionum ratione librum scripserat Ammonius Aristarcheus „*περὶ τοῦ μὴ γεγονέναι πλείονας ἐκδόσεις τῆς 'Αρισταρχείου διορθώσεως.*“ praeter hoc exemplum Apollodori personae proximum etiam Tullianorum Academicorum et aliorum dialogorum fata conferas. cf. denique Vatic. fr. 247 „Paulus libro I editionis secundae de iurisdictione [praetoris] tutelaris“.

[33]) Philol. Anzeiger II. 1870. p. 24 sqq.

[34]) Fragm. 73. 74. 101. 102. 105—107, quae Muellerus non novit.

[35]) Jena. Litteraturzeit. 1875 col. 603 sqq. Sitzungsber. d. Wien. Akad. CXXIII. 1891. p. 83 sqq.

[36]) l. l. p. 5, 3.

[37]) l. l. p. 27.

[38]) Fragm. 103. [Ind. Ac. Herc. col. XXIV ab imo 6 sqq.]

[39]) Quod et ex Ind. Stoic. Herc. col. LXIX 3, quam supra laudavi (pag. 2 n. 6) quaeque in Panaetii illis temporibus Stoicorum scholae Athenis principis familiaritatem venisse Apollodorum refert, et ex fr. 107, quod legitur in Chronicorum editione altera, v. 12 concludimus: „*ἄρχοντος παρ' ἡμῖν Εὐμάχου.*“ contra dubium est, num eiusdem Indicis col. LXXI quoque, ubi Stoici cuiusdam sepulturam honorificam publicisque, ut videtur, sumptibus factam enarrat Philodemus, cum Schmekelio Philos. d. mittl. Stoa p. 7, 6 ad Apollodorum referenda sit.

solet, suae aetatis memoriam prosequeretur. quam editionem aut ita factam esse credamus, ut res post a. 145/4 gestas libro quarto adderet Apollodorus — quod si credimus, librorum terminos aliter constitutos esse sumamus necesse fit, cum parum verisimile sit librum quartum editionis prioris non plus annis 57 complexum esse — aut ita, ut tribus libris editionis prioris quartum adiceret additamentum operis[40]), quo res recentissimas enarraret. quod cum per se verisimilius est, quia facillime sic explicatur et quod virorum sat ignobilium memoriam in quarto illo libro tot versibus prosecutus est et quod res gestas illius aetatis tam fuse enarravit, tum confirmari videtur Scymni carminis prooemio, in quo, etsi totum ad prooemii Apollodorei, quale fuit in editione priore, exemplum confectum est, unus tamen legitur versus sine dubio ex altera Chronicorum editione, ut infra intellegemus, depromptus.

At nuperrime diversam iniit rationem E. Schwartzius[41]), cum demonstrare conatus est versus illos, quos Philodemus servavit, non ex secunda Chronicorum editione profectos esse, sed ex additamento quodam non spectante nisi ad novam Academiam neque ab Apollodoro ipso, sed ab Academico quodam philosopho post a. 120 composito; quod in vulgata Chronicorum exemplaria receptum non esse e Scymno colligi, etsi illi, quem Diogenes exscripsit, auctori ignotum non fuerit. quam opinionem veram esse equidem mihi persuadere non potui. nam ut omittam prorsus nullam esse causam, cur hominem circa a. 180 natum iam ante a. 120 mortuum esse credamus, si longius eum produxisse vitam ipsa opera indicant, tota Schwarzii opinio inde orta est, quod ratione non habita nisi Academicorum Indicis omnino neglexit Apollodori fragmenta illa, quae apud Stephanum Byzantium exstant. spectant enim ad imperiosorum populorum, ut cum Cicerone loquar, res post a. 145/4 usque ad a. 121 gestas haud ita pauca chrono-

---

[40]) De additamento cogitaverant Zellerus Phil. d. Gr. III a[3] p. 47, 1, qui falso usque ad a. 129 id pertinuisse dixit, et Susemihlius Alex. Litt. II. p. 36, 24, quorum tamen neuter in rationem, quae inter editiones priorem et posteriorem intercederet, accuratius inquisivit.

[41]) l. l. col. 2858 sq. „erwägt man nun die auffallende ausführlichkeit, mit der Boethos Melanthios und die anderen jüngeren zeitgenossen des Karneades geschildert werden, ferner dass noch im 1. jhdt. die gangbare ausgabe der chronik mit 144 schloss, so liegt es viel näher als an eine zweite ausgabe an einen nachtrag zu denken, den nicht A. selbst, sondern ein attischer Akademiker bald nach 120 dem abschnitt über die neue Akademie anhing.“ at cautius hac quoque de re Bergkius l. l. p. 5, 3 iudicium tulit: „postea autem hoc opus vel Apollodorus ipse vel alius quis videtur continuavisse.“

graphi fragmenta, velut fr. 110 [63 M.] ad Tryphonis exitum a. 139/8, fr. 111 [61 M.] ad tumultum servilem primum a. 135/2, fr. 112—114 [60. 62. 127 M.] ad bellum a Romanis contra Gallos gestum a. 125/1; quid? quod ultra a. 121 deducimur fragmentis 115 et 116 [54. 59 M.], quippe quae colonias Romanorum illo bello demum finito conditas commemorent. quibus in fragmentis cum dilucide laudetur *Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικῶν δ̅*, apparet revera alteram Chronicorum editionem integram esse factam, non additamentum, quo nihil contineretur nisi Academiae historia, ita ut vel hac de causa explosa sit Schwartzii opinio. cur autem negemus ipsum Apollodorum opus suum continuasse, prorsus nulla est causa, cum etiam circa a. 110 contra Aristoclem scripserit[42]. accedit, quod auctorem alterius editionis Athenis vixisse, sicut Apollodorum, fr. 107 docet.

Quas autem attulit causas, quibus fulciret opinionem suam Schwartzius, miror hominem acutissimum, nimis eis confisum esse. nam quod fusius egit additamenti quod ille putat auctor de Academicis, nemo hoc mirabitur, qui secum reputaverit, quod primus Chronicorum liber complexus est annos 704, alter annos 156, tertius — si recte usque ad a. 145/4 pertinuisse eum diximus — annos 179[43], quartus autem annos circiter 35. neque Academicos tantum fusius tractasse in quarto hoc libro Apollodorum, etsi pro fontium indole de his tantum exstant eius versus, sed etiam res civiles, satis puto elucet e fr. 111—116, ubi colonia apparet Romanorum, quam statim post bellum Gallicum conditam esse Fabiae nomen prodit. quae colonia aut tam ignobilis erat, ut ne a Romanis quidem scriptoribus commemoraretur, aut postea sive nomen mutavit sive periit. neque per se mirum est, quod homo, praesertim senex, licet optimus sit historicus, plenius enarrat, quae ipse vidit, et virorum, quorum consuetudine ipse usus est, vitas paullo fusius describit.

Porro si Scymnus, etsi verisimiliter iam in lucem emissa altera Chronicorum editione suam composuit geographiam — non enim id premam, quod de geographi quoque aetate dubitatur, cum mihi quidem

[42]) cf. § 1.

[43]) Libro altero minorem annorum numerum quam tertio complexum esse Apollodorum nemo mirabitur, qui indolis Chronicorum rationem habuerit, quippe quae ad historiam philosophiae vitasque virorum illustrium potissimum spectarent. nam cum inter bellum Medicum et Alexandri mortem ingens fere turba clarorum virorum ut philosophorum ita poetarum exstiterit, de quibus quam fuse disseruerit Apollodorus satis docet fr. 46 [87 M.] ap. Diog. VIII 52, insequenti aetate maioris erant momenti res civiles, quas, etsi non neglexit, tamen paullo brevius atque parcius tractasse videtur chronographus.

persuasum sit vixisse scriptorem regnante Nicomede III[44]) —, tamen ad priorem provocasset editionem, ut Schwartzius contendit, ne sic quidem probari posset eius opinio, cum res vel primo obtutu duabus rationibus facile explicaretur. aut enim non novit alteram, quod si verum esset, facile crederemus, cum de urbe, in qua vixerit geographus, deque loco eius atque condicione prorsus nihil constet nisi quod in Bithynia eum degisse v. 973[45]) neque ita inlustrem fuisse virum prooemium docet, aut consilio laudat illam et quia Attalo regi inscripta erat, qua re ad conciliandam sibi Nicomedis gratiam utitur scriptor, et quia hac editione novum scribendi genus induxerat Apollodorus, quod ipse Scymnus suo opere imitatus est. at omnino non est, cur talibus indulgeamus commentis, cum et novisse alteram Chronicorum editionem et usum esse ea Scymnum satis probetur versu eius 21[mo 46]), quippe quo Apollodori versum quendam, qui locum non habeat nisi in altera editione[47]), exprimat geographus. quod cum constet, ex prooemii argumento a Scymno e Chronicis desumpto numeroque 1040 ab eo tradito non priore etiam editione — nedum sola illa — eum usum esse concludemus, sed Apollodorum potius, cum novam pararet operis editionem, nihil mutasse[48]) in libris tribus prioribus, quod eo facilius nobis persuadebimus, si recte supra alteram editionem ita factam esse diximus, ut tribus illis libris post a. 120 quartus adiceretur a chrono-

[44]) Nam cum everso iam Pergamenorum regno scripserit geographus [v. 17. 50 sq.], Nicomedes, cui opus suum inscripsit, aut secundus est [149—95/4] aut tertius [95/4—75]. de hoc cogitandum esse e vers. 50 sqq. docuit C. Muellerus G. G. M. I. 1853. p. LXXVII sq., qui geographiam conscriptam esse putat circa a. 90 plaudentibus Dielesio l. l. p. 5, Susemihlio l. l. I p. 678, 205, Schwarzio l. l. col. 2857. res confirmaretur, si oraculum, quod Zosimus II 36 sq. servavit *ἐκ βίβλων ἱστορικῶν καὶ χρησμῶν συναγωγῶν*, revera Nicomedi II datum esset; at cf. Mendelssohnii adnotationem ad Zosimi locum. solus Ungerus Philol. XLI. 1882. p. 611 sq. Scymnum opus suum a. 132 fere edidisse contendit. ceterum de Nicomedibus cf. Th. Reinachium Rev. Numism 1897 p. 241 sqq.

[45]) Ex Heraclea oriundum esse geographum suspicatus est C. Muellerus l. l. p. LXXIV sq. at cf. Ungerum l. l. p. 613, 13.

[46]) „*Συνεσχολακὼς δὲ πολὺν Ἀριστάρχωι χρόνον.*"

[47]) Fr. 105 [Ind. Acad. col. XXXI] „*ἱκανόν τ' Ἀριστάρχωι συνεσχολακὼς χρόνον.*" versus ad Melanthium Rhodium Carneadis discipulum spectat.

[48]) Monuit me Dielesius aut fieri potuisse, ut editio altera prioris editionis prooemium non mutatum exhiberet — annorum autem 1040 numerum ipsum Apollodorum in initio operis commemorasse verisimillimum est — aut Apollodorum tribus libris, qui iam crebro hominum usu frequentabantur, quartum novo prooemio instructum submisisse seorsum, quas editiones postea coaluisse consentaneum esset.

graphi fragmenta, velut fr. 110 [63 M.] ad Tryphonis exitum a. 139/8, fr. 111 [61 M.] ad tumultum servilem primum a. 135/2, fr. 112—114 [60. 62. 127 M.] ad bellum a Romanis contra Gallos gestum a. 125/1; quid? quod ultra a. 121 deducimur fragmentis 115 et 116 [54. 59 M.], quippe quae colonias Romanorum illo bello demum finito conditas commemorent. quibus in fragmentis cum dilucide laudetur *Ἀπολλόδωρος ἐν Χρονικῶν δ̄*, apparet revera alteram Chronicorum editionem integram esse factam, non additamentum, quo nihil contineretur nisi Academiae historia, ita ut vel hac de causa explosa sit Schwartzii opinio. cur autem negemus ipsum Apollodorum opus suum continuasse, prorsus nulla est causa, cum etiam circa a. 110 contra Aristoclem scripserit[42]. accedit, quod auctorem alterius editionis Athenis vixisse, sicut Apollodorum, fr. 107 docet.

Quas autem attulit causas, quibus fulciret opinionem suam Schwartzius, miror hominem acutissimum, nimis eis confisum esse. nam quod fusius egit additamenti quod ille putat auctor de Academicis, nemo hoc mirabitur, qui secum reputaverit, quod primus Chronicorum liber complexus est annos 704, alter annos 156, tertius — si recte usque ad a. 145/4 pertinuisse eum diximus — annos 179[43]), quartus autem annos circiter 35. neque Academicos tantum fusius tractasse in quarto hoc libro Apollodorum, etsi pro fontium indole de his tantum exstant eius versus, sed etiam res civiles, satis puto elucet e fr. 111—116, ubi colonia apparet Romanorum, quam statim post bellum Gallicum conditam esse Fabiae nomen prodit. quae colonia aut tam ignobilis erat, ut ne a Romanis quidem scriptoribus commemoraretur, aut postea sive nomen mutavit sive periit. neque per se mirum est, quod homo, praesertim senex, licet optimus sit historicus, plenius enarrat, quae ipse vidit, et virorum, quorum consuetudine ipse usus est, vitas paullo fusius describit.

Porro si Scymnus, etsi verisimiliter iam in lucem emissa altera Chronicorum editione suam composuit geographiam — non enim id premam, quod de geographi quoque aetate dubitatur, cum mihi quidem

[42]) cf. § 1.

[43]) Libro altero minorem annorum numerum quam tertio complexum esse Apollodorum nemo mirabitur, qui indolis Chronicorum rationem habuerit, quippe quae ad historiam philosophiae vitasque virorum illustrium potissimum spectarent. nam cum inter bellum Medicum et Alexandri mortem ingens fere turba clarorum virorum ut philosophorum ita poetarum exstiterit, de quibus quam fuse disseruerit Apollodorus satis docet fr. 46 [87 M.] ap. Diog. VIII 52, insequenti aetate maioris erant momenti res civiles, quas, etsi non neglexit, tamen paullo brevius atque parcius tractasse videtur chronographus.

persuasum sit vixisse scriptorem regnante Nicomede III[44]) —, tamen ad priorem provocasset editionem, ut Schwartzius contendit, ne sic quidem probari posset eius opinio, cum res vel primo obtutu duabus rationibus facile explicaretur. aut enim non novit alteram, quod si verum esset, facile crederemus, cum de urbe, in qua vixerit geographus, deque loco eius atque condicione prorsus nihil constet nisi quod in Bithynia eum degisse v. 973[45]) neque ita inlustrem fuisse virum prooemium docet, aut consilio laudat illam et quia Attalo regi inscripta erat, qua re ad conciliandam sibi Nicomedis gratiam utitur scriptor, et quia hac editione novum scribendi genus induxerat Apollodorus, quod ipse Scymnus suo opere imitatus est. at omnino non est, cur talibus indulgeamus commentis, cum et novisse alteram Chronicorum editionem et usum esse ea Scymnum satis probetur versu eius 21 mo[46]), quippe quo Apollodori versum quendam, qui locum non habeat nisi in altera editione[47]), exprimat geographus. quod cum constet, ex prooemii argumento a Scymno e Chronicis desumpto numeroque 1040 ab eo tradito non priore etiam editione — nedum sola illa — eum usum esse concludemus, sed Apollodorum potius, cum novam pararet operis editionem, nihil mutasse[48]) in libris tribus prioribus, quod eo facilius nobis persuadebimus, si recte supra alteram editionem ita factam esse diximus, ut tribus illis libris post a. 120 quartus adiceretur a chrono-

[44]) Nam cum everso iam Pergamenorum regno scripserit geographus [v. 17. 50 sq.], Nicomedes, cui opus suum inscripsit, aut secundus est [149—95/4] aut tertius [95/4—75]. de hoc cogitandum esse e vers. 50 sqq. docuit C. Muellerus G. G. M. I. 1853. p. LXXVII sq., qui geographiam conscriptam esse putat circa a. 90 plaudentibus Dielesio l. l. p. 5, Susemihlio l. l. I p. 678, 205, Schwarzio l. l. col. 2857. res confirmaretur, si oraculum, quod Zosimus II 36 sq. servavit *ἐκ βίβλων ἱστορικῶν καὶ χρησμῶν συναγωγῶν*, revera Nicomedi II datum esset; at cf. Mendelssohnii adnotationem ad Zosimi locum. solus Ungerus Philol. XLI. 1882. p. 611 sq. Scymnum opus suum a. 132 fere edidisse contendit. ceterum de Nicomedibus cf. Th. Reinachium Rev. Numism 1897 p. 241 sqq.

[45]) Ex Heraclea oriundum esse geographum suspicatus est C. Muellerus l. l. p. LXXIV sq. at cf. Ungerum l. l. p. 613, 13.

[46]) „*Συνεσχολακὼς δὲ πολὺν Ἀριστάρχωι χρόνον.*“

[47]) Fr. 105 [Ind. Acad. col. XXXI] „*ἱκανόν τ' Ἀριστάρχωι συνεσχολακὼς χρόνον.*“ versus ad Melanthium Rhodium Carneadis discipulum spectat.

[48]) Monuit me Dielesius aut fieri potuisse, ut editio altera prioris editionis prooemium non mutatum exhiberet — annorum autem 1040 numerum ipsum Apollodorum in initio operis commemorasse verisimillimum est — aut Apollodorum tribus libris, qui iam crebro hominum usu frequentabantur, quartum novo prooemio instructum submisisse seorsum, quas editiones postea coaluisse consentaneum esset.

grapho, quo res post a. 145/4 gestas enarravit. ex Scymno igitur adeo non probari potest vulgata saec. a. Chr. I[i] Chronicorum exemplaria additamentum, quale putat Schwartzius, non exhibuisse, ut unicus, quem suae opinionis testem habet ille, optime confirmet et exstitisse alteram editionem et versatam esse in omnium manibus. nam Diogenis auctorem, qui non ultra Clitomachum Academiae historiam deduxit, aucta Chronicorum editione usum esse et ipse concessit Schwartzius et elucet e fr. 99 [102 M]. Denique cur rerum atque temporum ordinem, quem versus Apollodorei in Philodemi Indice Academico exhibent, ad probandam sententiam suam attulerit Schwartzius[49]), equidem non assequor. res sic se habet: Indicis col. XXIV breviter enumerantur Carneadis discipuli; col. XXIV ab imo 6[50]) — XXV Clitomachi vita fuse enarratur, ita tamen, ut e Chronicis haec excerpta esse celeriter videas; col. XXV ab imo 4 — XXVI Carneadis in schola regenda diadochi Carneades Polemarchi filius et Crates Tarsensis apparent; pauca etiam de Metrodoro, Carneadis maioris discipulo [fr. 104]. tum in eiusdem col. XXVI parte inferiore versus de Boetho [fr. 107] a. 120/19 mortuo; col. XXVII 1 sqq. autem versus de Lacyde, qui a. 206/5 obiit et continua narratione col. XXVII—XXVIII Lacydis discipuli et diadochi Telecles et Euander aliique Academici aut horum aut illius discipuli, qui circa a. 168 mortui sunt [fr. 73—74]. col. XXVIII 31 et col. XXIX iterum continua narratione versus de Boetho iidem atque in col. XXVI, quo de philosopho post Carneadis vitam enarratam egisse Apollodorum v. 1 docet: **„τῶι Καρνεάδηι δὲ κατὰ τὸν αὐτὸν ἦν χρόνον.“** col. XXIX parte inferiore et col. XXX Carneadis diadochi Carneades minor et Crates [fr. 101—102] et Clitomachi initium, quippe qui Cratetem exceperit, de quibus omnibus iam pedestri sermone ita disseruerat Philodemus, ut e Chronicis ea fluxisse statim appareret. col. XXXI—XXXII alii tractantur Carneadis discipuli, e quibus exstant Melanthius [fr. 105] et Charmadas [fr. 106], tertii exiguae tantum reliquiae. col. XXXII ab imo 4 iterum nomina enumerantur sermone pedestri, Clitomachi, ut videtur, discipuli; col. XXXIII denique de Philone agitur Clitomachi diadocho. quo ex ordine luce clarius apparet Philodemum non simpliciter ad verbum exscribere

49) „diesen nachtrag wollte Philodem aufnehmen; entweder er selbst oder sein schreiber haben sich aber eines anderen besonnen und das unmittelbar vorhergehende stück des echten A. noch hinzugefügt.“ cur omiserint ipsum Carneadem Schwartzius non dixit. vix enim nobis persuadebimus totam eius vitam inter col. XXVIII versum 15[mum] et 30[mum] enarratam esse.

50) Numeros dedi editionis Buecheleri. accuratius de his dicendum erit. si Mekleri apparuerit editio multo illa plenior.

voluisse Apollodorum[51]), ut eius versibus spatium vacuum inter duos, quibus usus est, fontes expleret. hoc enim si voluisset, cur maximam horum versuum partem etiam in pedestrem sermonem conversam adscripsisset? cur versus de Lacyde eiusque diadochis exscripsisset? sequitur igitur, ut aut Philodemus aut, quod magis placet, scriba eius schedulas et excerptiones, quas e Chronicis ad suum usum exscripserat Philodemus et quibus quomodo usus sit Carneadis minoris Cratetis Clitomachi vitae docent, inepte inculcaverit in continuam Academiae historiam ab ipso Philodemo ex eo fonte, quo et Diogenis auctor usus est, i. e. ex Academiae biographo, et ex Apollodori Chronicis et ex tertio auctore — si ullo ad extremam Indicis partem componendam usus est —, qui inde a Clitomachi discipulis initium sumpsit, consarcinatam. nam a Carneadis discipulis [col. XXIV] eiusque diadochis [col. XXIV—XXVI] narratio continua progreditur ad Clitomachi discipulos [col. XXXII] et diadochum eius [col. XXXIII]. inter Clitomachum autem et eius discipulos versus Apollodorei inculcati sunt. quomodo autem factum sit, ut scriba versus de Boetho bis describeret, neque ego scio neque Schwartzius dixit. fortasse tamen Boethi vitam, qualem col. XXVI legimus, ipse Philodemus exscripsit e Chronicis, cum in aliis fontibus philosophus ignobilis non commemoratus esset. cui opinioni locus, in quo collocavit Boethum, inter Carneadis diadochos et Clitomachi diadochum non repugnet. quod si verum est, scribae errori non debentur nisi col. XXVII sqq.

Dubitari igitur non potest, quin Chronicorum editiones exstiterint duae, altera librorum ut videtur trium a. 145/4 emissa Attaloque regi inscripta, qua annorum 1040 memoriam colligaverat Apollodorus, altera post a. 120/19, fortasse circa a. 110, ab ipso Apollodoro edita unoque libro, quo res recentissimae enarratae erant, aucta.

5.
De Chronicorum Fragmentis Spuriis.

At non de exitu tantum Chronicorum orta est e fragmentis controversia, sed etiam de initio, quamquam haec quoque, quantum quidem attinet ad ipsum Apollodorum, ad liquidum perduci potest. nam quod nos supra Scymni atque Diodori testimoniis freti a Troiae demum eversione initium fecisse scribendi illum diximus, repugnant

51) Quod etiam Wilamowitzius Philol. Unters. IV. 1881. p. 54 putat: „von da ab [col. XXVI] hat Philodem sich die ergänzung durch einfaches abschreiben (oder vielmehr abschreiben lassen) der bezüglichen stücke der Apollodorischen chronik leicht gemacht.“

huic opinioni fragmenta nonnulla[52]), quae apud chronographos Christianos, Clementem Alexandrinum Eusebium Syncellum, exstant, in quibus rerum ante hanc epocham gestarum testis laudatur Apollodorus. ex eo enim haustum esse regum Chaldaeorum laterculum dicunt Eusebius et Syncellus[53]), Aegyptiorum Thebanorum laudato praeter Apollodorum etiam Eratosthene Syncellus[54]), Sicyoniorum idem[55]); e Graecorum autem archaeologia nonnulla Clemens affert[56]). quae fragmenta abiudicanda esse illi perspexit Dielesius[57]) non solum propter Scymni et Diodori testimonia, quae nihil omnino habent dubitationis, sed ideo quoque, quia a veritatis specie prorsus abhorret Apollodorum relicto sano Eratosthenis consilio tot et talia regum nomina cum regnorum spatiis versibus inclusisse, praesertim cum non adnotasse eum nisi *τὰ κεφάλαια τῶν χρόνων* et Scymnus contendat et prodat libri primi circuitus. qui vir doctissimus refutatis priorum hariolationibus[58]), quibus usi et auctoritatem scriptorum, quos modo citavi, et verisimilitudinem cum his fragmentis conciliare conati sunt, e sedibus,

---

[52]) Schol. Aristoph. av. 1022 pro *Ἀπολλόδωρος Ἀριστόβουλος* reposuit Dielesius l. l. p. 7, 1 coll. Strabone XIV p. 672 et Athenaeo XII p. 530 A. aliter Niesius Rhein. Mus. XXXII. 1877. p. 292, 4. utique non e Chronicis depromptum est fragmentum.

[53]) Fr. 121. [67 M.] Euseb. chron. I p. 7, 10. 13, 8. Syncell. p. 71, 3. 51, 2.

[54]) Fr. 122. [70 M.] Syncell. p. 171, 4. 180, 8. 190, 6. 195, 6. 204, 20. 233, 6. 278, 22.

[55]) Fr. 123. [71 M.] Syncell. p. 181, 20.

[56]) Fr. 124. [72 M.] Clem. Al. Strom. I 105 p. 381 sq. P.

[57]) l. l. p. 6 sqq.

[58]) Westermannus ap. Pauly Realenc. I² p. 1303 praeter Chronica etiam opus historicum composuisse putavit Apollodorum, e quo haec fragmenta fluxissent. C. Muellerus FHG I p. XLIII Chronica metrica epitomam esse contendit maioris cuiusdam operis prosaria oratione conscripti, quam opinionem postea ipse reliquit ib. II p. 566. IV p. 649. V p. XXIX 4. denique Doppius Quaest. d. Marm. Par. 1883. p. 12 novam post Dielesium protulit opinionem, scripsisse Apollodorum opus quoddam de tempore mythico, quo lectores in Chronica induxisset.

Quod *„πάντων ἐπιτομὴν τῶν χύδην εἰρημένων“* Chronica appellat Ps. Scymnus v. 32, vocem epitomam non semper breviatum opus maius indicare luce clarius apparet et ex v. 45, quo explicat ipse hanc vocem his verbis: *„κεῖνος μὲν οὖν κεφάλαια συναθροίσας χρόνων“* et ex iis, quae de sua chorographia, quam epitomam esse nemo contendet, dixit v. 65 sq.

„Ἐκ τῶν σποράδην γὰρ ἱστορουμένων τισίν
ἐν ἐπιτομῆι σοι γέγραφα τὰς ἀποικίας κτλ.“

et v. 69 sq.

„Τούτων δ' ὅσα μὲν εὔσημά τ' ἐστὶ καὶ σαφῆ
ἐπὶ κεφαλαίου συντεμὼν ἐκθήσομαι.“

ubi inveniuntur, evicit Christiani cuiusdam sive Iudaei hominis, qui suo fetui clarissimi chronologi nomen affinxerit, fraudi deberi illa. neque quisquam postea Apollodorum illa fragmenta scripsisse defendit uno excepto Ungero[59]), cuius argumenta, praesertim cum falsa, quam de Scymni auctore[60]) protulit, sententia nitantur, non est, cur refutem; dubitatur autem et de tempore et de auctore, qui illa fragmenta Apollodoro supposuerit. nam cum de Apollodoro quodam cognomine cogitavit Gutschmidius[61]), quae opinio vel ea de causa parum veri-

et v. 73 sq. *„τὸν πάντα τῆς οἰκουμένης*
ἔχειν σε περιορισμὸν ἐπιτετμημένον.“

neque aliter opus suum delineavit Dionysius Calliphontis filius v. 8 sqq.

„τὰ γὰρ ἐν πλείοσιν
ὑπὸ τῶν παλαιῶν συγγραφέων εἰρημένα,
ταῦτ' ἐμμέτρως ῥηθήσετ' ἐν βραχεῖ χρόνωι.“

cuius usus multa exstant exempla, velut Diog. prooem. 10 *„Μανέθως ἐν τῆι τῶν Φυσικῶν ἐπιτομῆι“* id. VII 35 *„τέταρτος* [Zenon] *ἱστορικός, τὴν Πύρρου γεγραφὼς στρατείαν εἰς Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν, ἀλλὰ καὶ ἐπιτομὴν τῶν πεπραγμένων Ῥωμαίοις τε καὶ Καρχηδονίοις.“* *„ἐπιτομὴν μυθικήν“* Phylarchum scripsisse Suid. s. v. refert; id. s. *Ἑλικώνιος σοφιστής: „ἔγραψε χρονικὴν ἐπιτομὴν ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ μέχρι Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου ἐν βιβλίοις δέκα.“* Castoris quoque Chronica hoc nomine signata erant: Euseb. I p. 53, 30 „Kastor in primo Chronicorum Brevi volumine (Epitome) ad huius exempli formam usque ad singulas syllabas de Assyriorum regno enarrat.“ sequitur lemma: „Ex Castoris Brevi volumine, de Regno Assyriorum.“ ib. p. 181, 28 „designat (id) et Kastor in Historiae Epitome eodem modo.“ Africani opus magnum *„τῶν χρόνων ἐπιτομήν“* appellat S. Basilius Magnus opp. (Lutet. Paris. 1618) II p. 219 c. conferas denique Aurelii Victoris historias abbreviatas [Teuffel-Schwabe Röm. Litt.[5] § 414, 3. Wachsmuth Einleit. p. 673, 1] et Eutropii „breviarium ab urbe condita“ [coll. Suid. s. *Εὐτρόπιος Ἰταλός: „τὴν Ῥωμαικὴν ἱστορίαν ἐπιτομικῶς τῆι Ἰταλῶν φωνῆι ἔγραψε“*], qui in praefatione de libro suo haec dicit: „res . . . per ordinem temporum brevi narratione collegi strictim.“

[59]) Philol. XLI. 1882. p. 633 sqq.

[60]) Apollodorum enim eum esse negat, contendit Artemonem *τὸν ἀπὸ Περγάμου*. at hic Artemon neque Aristarchi fuit discipulus — immo et impugnavit illum in libris, quorum reliquiae doctrinam Crateteam prae se ferunt, et ipse impugnatus est a Menecrate Aristarcheo [cf. Susemihlium Alex. Litt. II p. 13. Wentzelium ap. Pauly-Wissowam II col. 1446 sq.] — neque Chronica scripsit, ut Scymni auctor. nam quod porro Ungerus hunc Artemonem eundem esse censet atque Artemonem Clazomenium, qui *ὥρους Κλαζομενίων* scripsit, neque id verisimile est [pro Artemone Cassandreo *τὸν ἀπὸ Περγάμου* habet Wentzelius; sed ne id quidem certum est], cum nihil prorsus constet de Clazomenii aetate, neque unius urbis *ὧροι* respondent Anonymi Chronicorum descriptioni, qualem Scymnus dedit. claudicare igitur atque vacillare totam hanc Ungeri opinionem vides.

[61]) Philol. X. 1885. p. 719 [Kleine Schr. I p. 160 cf. ib. III p. 527]. Gutschmidius quoque, sicut Ungerus, ut sic statueret, commotus est imprimis fr. 87 de Ponti regibus, quod falso explicavit.

similis est, quod in fr. 122 cum Eratosthene coniunctus apparet Apollodorus, Dielesii sententiam comprobaverunt Susemihlius[62]) et Wachsmuthius[63]), quamquam de fr. 122, quod ex Panodoro[64]) hausit Syncellus, paullo aliter iudicandum esse hic quidem censuit. nam etsi neque Eratosthenes neque Apollodorus hos fastos tradiderunt, subesse tamen videtur verus regum Aegyptiorum laterculus[65]); cuius de auctoritate etsi equidem diiudicare non possum — neque hoc ad Apollodorum refert — apparet non ipsum laterculum falsum esse sive Christiani sive Iudaei hominis.

Diversam autem iniit rationem Schwartzius[66]) nisus fr. 121, quod summam omnium movit dubitationem. nam verba prima quae apud Syncell. p. 71, 3 sic leguntur: „*πρὸς τούτοις καὶ Ἀπολλόδωρος ὁμοίως τούτοις τερατευόμενος οὕτω λέγει· ταῦτα μὲν ὁ Βήρωσσος ἱστόρησε, πρῶτον γενέσθαι βασιλέα Ἄλωρον κτλ.*“ ita ut Berossum citaverit Ps. Apollodorus, eadem sic reddit Eusebii versio Armenia p. 7, 14: „haec Berosus in primo volumine enarravit... incipitque in hunc modum scribere: Apolodorus ait primum extitisse regem Alorum.“ sed cum fieri non potuerit, ut Apollodorum testem citaret Berossus, Gutschmidius[67]) ex Syncello et Armenio sic restituendum esse censuit Eusebii textum: „*ἄρχεται δ᾽ οὕτω γράφειν Ἀπολλόδωρος· πρῶτον λέγει* (sc. Berossus) *γενέσθαι βασιλέα Ἄλωρον.*“ quae coniectura sive potius verborum Armenii distinctio etsi primo obtutu haud displicet, tamen vera esse non potest. nam quia totum hoc excerptum ex Alexandro Polyhistore se sumpsisse testatur Eusebius p. 7, 11 et p. 11, 3. 12, comprobata Gutschmidii coniectura sequeretur Alexandrum non ipsum Berossum inspexisse, sed eum non novisse nisi ex Ps. Apollodoro, quod a probabilitate prorsus abhorrere iure dixit Schwartzius. at quae hic ipse protulit minus etiam comprobare possum. collato enim Eusebio p. 14, 11 [fr. 121 c]: „quemadmodum et Apolodorus in volumine (historia) enarrat“ [cf. Scyncell. p. 51, 4. fr. 121 d.“ *καθὼς*

62) Alexandr. Litt. I p. 425, 84. II p. 35, 24. qui tamen, ut Ungerum refutaret, male fr. 87 inter spuria rettulit.

63) De Eratosth. Apoll. Sosib. p. 23 sq. Einleit. p. 135.

64) Wachsmuthius Einleit. p. 340 sq. sine iusta causa Panodorum ex Dexippo hausisse contendit Gelzerus African. II 1 p. 197.

65) cf. E. Frickium Rh. Mus. XXIX. 1874. p. 256 sqq. Ungerum l. l. p. 637 sqq. Wiedemannum Aeg. Gesch. I. 1884. p. 133 sq. E. Meyerum G. d. A. I. 1884. § 37 not. Gelzerum African. II 1. 1885. p. 51 sqq. 196 sqq. Wachsmuthium de Eratosth. p. 6 sq. Einleit. p. 128. 340 sq. Schwartzium l. l. col. 2861. e quibus plerique falso Eratosthenem et Apollodorum laterculum servasse putant.

66) l. l. col. 2859 sqq.

67) Ad Euseb. I b p. 240 Sch.

καὶ Ἀπολλόδωρος ἱστόρησε“] haec scripsisse Eusebium suspicatus est: „*ἄρχεται δὲ γράφειν οὕτως* (scil. Berossus), *⟨ὡσαύτως δὲ καὶ⟩ Ἀπολλόδωρος λέγει*“; unde conclusit iam Alexandrum Polyhistorem laudasse et Berossum et Apollodorum, ita ut non solum ante Polyhistoris tempora, sed etiam ante Castorem, quem sine iusta, ut mihi quidem videtur, causa Sicyoniorum regum laterculum Ps. Apollodoreum in suum usum convertisse suspicatus est[68]), circa annum igitur a. Chr. 100 Chronica Apollodori aucta esse statueret rebus ante bellum Troianum gestis.[69]) qua e Chronicorum editione fluxisse fragmenta quattuor, quae nobis sub Apollodori nomine servata sunt. At nemo puto veram esse hanc opinionem sibi persuadebit. primum enim tota Schwartzii sententia inde pendet, quod negavit Apollodori Chronicorum alteram editionem factam esse. at cum supra demonstraverimus eum ipsum Chronica iterum edidisse certo post a. 120/19, fortasse circa a. 110, apparet fieri vix potuisse, ut iam a. 100 tale opus, quale Schwartzius posuit, ei supponeret quisquam. at quartum librum, inquies, qui adiunxit (fac enim non ab Apollodoro, sed a discipulo quodam vel quolibet alio hanc mantissam additam esse) nonne idem potuit initio aliquid eruditionis assuere? cui primum hoc respondeo regum illos laterculos versibus comprehendere vel Apollodori ipsius arte maius futurum fuisse opus. tum amplissima illa barbarorum et heroum materia suum sibi librum postularet et fortasse plures. utique sub prolusionis forma tot tantaeque res profligari nullo modo poterant. gravior etiam tertia est causa, qua prohibemur, quominus Schwartzii amplectamur opinionem. quid enim quaeso iudicemus de Diodoro, qui I 5, 1 dilucide negat extitisse Chronica fide digna, quae res ante bellum Troianum gestas in temporum ordinem digesserint, plane autem testatur Apollodorum a bello Troiano initium sumpsisse: „*τῶν δὲ χρόνων τούτων περιειλημμένων ἐν ταύτηι τῆι πραγματείαι τοὺς μὲν πρὸ τῶν Τρωικῶν οὐ διοριζόμεθα βεβαίως διὰ τὸ μηδὲν παράπηγμα παρειληφέναι περὶ τούτων πιστευόμενον, ἀπὸ δὲ τῶν Τρωικῶν ἀκολούθως Ἀπολλοδώρωι τῶι Ἀθηναίωι τίθεμεν ὀγδοήκοντ᾽ ἔτη πρὸς τὴν κάθοδον τῶν Ἡρακλειδῶν κτλ.*“ de Assyriorum chronologia idem Diodorus II 1, 4 haec dicit: „*τὸ παλαιὸν τοίνυν κατὰ τὴν Ἀσίαν ὑπῆρχον ἐγχώριοι βασιλεῖς, ὧν οὔτε πρᾶξις ἐπίσημος οὔτε ὄνομα μνημονεύεται. πρῶτος δὲ τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδο-*

68) Die Königslisten d. Eratosth. u. Kastor. 1894. p. 9 sqq.

69) „Somit ist der schluss unausweichlich, dass noch vor Alexander Polyhistor, um 100 herum, die chronik A.'s eine prosajsche fortsetzung nach oben erhielt.“

μένων ἡμῖν Νίνος ὁ βασιλεύς κτλ.“ denique de Graecorum archaeologia haec legas [IV 1, 1]: „*οὐκ ἀγνοῶ μὲν ὅτι τοῖς τὰς παλαιὰς μυθολογίας συνταττομένοις συμβαίνει κατὰ τὴν γραφὴν ἐν πολλοῖς ἐλαττοῦσθαι. ἡ μὲν γὰρ τῶν ἀναγραφομένων ἀρχαιότης δυσεύρετος οὖσα πολλὴν ἀπορίαν παρέχεται τοῖς γράφουσιν, ἡ δὲ τῶν χρόνων ἀπαγγελία τὸν ἀκριβέστατον ἔλεγχον οὐ προσδεχομένη καταφρονεῖν ποιεῖ τῆς ἱστορίας τοὺς ἀναγινώσκοντας.*“ luce igitur clarius est Diodorum, qui annis circa 60[71]) post terminum a Schwartzio Chronicorum historia mythica auctorum editioni adsignatum historias conscribere aggressus est, librum illum, quem optime in suum usum convertere poterat, non novisse, quo eodem libro tam prolixe Castorem et Alexandrum Polyhistorem usos esse putat Schwartzius. num credamus saniore usum iudicio Diodorum falsum et perspexisse et respuisse? nemo hoc sibi persuadebit, praesertim cum ipsius Castoris Chronicis usum esse Diodorum verisimillimum sit. nihil igitur restat, quam ut comprobata ipsius Schwartzii coniectura ⟨*ὡσαύτως δὲ καὶ*⟩ *Ἀπολλόδωρος λέγει*, quae discrepantiam inter Armenium et Syncellum, quomodo nata sit, bene explicat, haec verba emblema esse censeamus ab Eusebio in excerpta ex Polyhistore facta inculcatum, ita ut et Alexandrum et Ps. Apollodorum inspexisse Eusebium putemus, quod mihi quidem a veri similitudine minus abhorrere videtur quam Schwartzio. neque enim Wachsmuthii[72]) coniectura, qui vetus librariorum vitium inesse suspicatus Eusebii verbis pro *Ἀπολλόδωρος* „*ὁ Πολυίστωρ*“, scripsit, respectis Armenii verbis stare potest. ceterum non inutile erit commemorare ipsius Alexandri *Χαλδαικά*, e quibus haec excerpta fluxerunt, nisi a Judaeis atque Christianis scriptoribus adhibita non esse, si unum exceperis Abydenum.

Acquiescendum igitur in universum quidem puto in Dielesii sententia[73]), qua¦ videtur exstitisse, incertum quo tempore, sed vix

71) De tempore, quo scripserit Diodorus, cf. Wachsmuthium Einleit. p. 81.

72) Einleit. p. 370, 2.

73) Diu tamen haesitavi, utrum etiam fr. 124 inter spuria recenserem an prooemii loco ab Apollodoro rerum narrationi praemissum esse crederem, cum a verisimilitudine non abhorreret chronologum initio operis et causas aperuisse, quibus commotus spatium mythicum accuratius enarrare omisisset, et epochas huius spatii a Troia capta proximas dedisse,˙ e saeculorum scilicet computatione effectas, ut ab hac quoque parte epocham Troianam firmaret. nam qui hanc epocham effecit ex Lacedaemoniorum fastis regiis facere vix potuit, quin Herculis quoque aetatem definiret. accedit quod Eusebius quidem et Syncellus in fr. 121—123 simpliciter Apollodorum laudant sive *Ἀπολλόδωρον χρονικόν* [fr. 122] operis nomine non citato, Clemens autem plane affert *Ἀπολλόδωρον ἐν τοῖς Χρονικοῖς*, ita ut ex Dionysio eum hausisse

ante finem saec. I a. Chr., homo Judaeus sive postea Christianus, qui suis tabulis chronologicis, undeunde eas sumpsit, ad augendam fidem clarum Apollodori affinxerit nomen. ipsum falsum nemo mirabitur, cum non hoc solum opus grammatico inlustrissimo supposuerint posterioris aetatis homines. nam ut bibliothecam, quae dicitur, abiudicandam esse Apollodoro Robertus[74]) perspexit, ita libros *Περὶ γῆς* iambis conscriptos, quos praeter Stephanum Byzantium nemo[75]) Apollodoro attribuit, alienos esse ab eo firmissimis argumentis evicit Dielesius[76]).

Constat igitur de temporis spatio, quod Chronicis complexus est Apollodorus.

6.
De Chronicorum Indole.

Chronicorum imaginem omnino falsam cogitatione informaremus, si rationem haberemus eorum tantum fragmentorum, quae sub Apollo-

fragmentum suspiceris. tamen certius duxi inter spuria referre fragmentum. qui pro genuino habere videtur Rohdius Rh. Mus. XXXVI. 1881. p. 532, 1. non dixit, ubi in Apollodori libris locum haberet.

74) De Apollodori bibliotheca 1873, quamquam non de falso, sed de cognomine quodam Apollodoro cogitavit.

75) Apollodor. fr. 105–150. FHG I. p. 449 sqq., ubi tamen multa e genuinis Apollodori scriptis immiscuit Muellerus. velut fr. 123 [Strabo I p. 61] et fr. 147 [Schol. Apoll. Rhod. I 1116] certo ad Navium Catalogum pertinent, unde alia quoque fragmenta e Stephano hausta fluxisse puto, in quibus simpliciter Apollodorus laudatur. neque fr. 149 [Schol. Pindar. ol. IX 63] in periegesi locum habuit. ad Chronica revocanda sunt Steph. s. *Ἀδρανόν* [fr. 66] *Ἀλλόβρυγες* [fr. 114] *Αὐτομάλακα* [fr. 90], *Σικανία* [fr. 35]; *Φιλωτέρα* [fr. 92] *Ὠρεός* [fr. 94]; Schol. Pind. Ol. I 35 [fr. 38]; Etymol. M. s. *Ἑλληνόπολις* [fr. 118]; fortasse etiam Muelleri fr. 107. 116. 121. 138.

Conscripti sunt libri *Περὶ γῆς* post Ps. Scymnum et ante Strabonem, siquidem hic breviter libri mentionem inecit [XIV p. 677] contra Apollodorum in Navium Catalogo disputans: „*ἀμαθία δὲ τὸ λέγειν τριγωνοειδὲς τὸ τοιοῦτον τετράπλευρον, οὐδὲ χωρογραφικόν. ὁ δὲ καὶ χωρογραφίαν ἐξέδωκεν ἐν κωμικῶι μέτρωι Γῆς περίοδον ἐπίγραψας. μένει δ' ἡ αὐτὴ ἀμαθία κτλ.*“ e toto loco, qualis nunc legitur in libris mss., eluceret Strabonem novisse quidem hunc Apollodori librum, non tamen eo usum esse; quod sane mirum est. nam revera eo libro usum non esse illum constat. cf. Niesium Rh. Mus. XXXII. 1877. p. 267, 1. nescio igitur, an verba *ὁ δὲ καὶ — ἐπιγράψας* emblema sint docti illius lectoris, qui toties in Strabonis libris obvius nobis est. cui ansam dedit ad inculcandam hanc notulam vox *χωρογραφικόν*, quae ex Strabonis sententia ad Commentarios de Navium Catalogo spectat. sic, ut nunc leguntur verba, sententiam interrumpunt.

76) l. l. p. 8 sqq., ubi simul refutat ineptas Muelleri coniecturas [FHG I p. XLIII sq. V p. L not. GGM. I p. LXXIX].

dori nomine traduntur, quippe cum maxima ex parte historiam spectent philosophiae et litterarum vitasque virorum illustrium. bene igitur contigit, ut auxilio venirent Ps. Scymni v. 25 sqq., quibus enumerat, quae continuerint Apollodori libri:

„καταριθμούμενος
πόλεων ἁλώσεις, ἐκτοπισμοὺς στρατοπέδων,
μετανασιάσεις ἐθνῶν, στρατείας βαρβάρων,
ἐφόδους περαιώσεις τε ναυτικῶν στόλων,
θέσεις ἀγώνων, συμμαχίας, σπονδάς, μάχας,
πράξεις βασιλέων, ἐπιφανῶν ἀνδρῶν βίους,
φυγάς, στρατείας, καταλύσεις τυραννίδων.“

in hac enumeratione cum fere obruti sint aliarum rerum multitudine **ἐπιφανῶν ἀνδρῶν βίοι**, sat certo edocemur chronologum Atheniensem non neglexisse historiam rerum civilium. quod Chronicorum argumentum a Scymno delineatum optime confirmant et fr. 88, ubi Philodemus[77]) testem laudat Apollodorum in definienda belli Chremonidei epocha, et Ciceronis[78]) testimonium, quod infra plenum exhibebo; qui cum ab Attico peteret, ut rescriberet, qui a. 156/5 „Athenis **πολιτικοὶ** fuerint illustres“, haec addidit: „quae te etiam ex Apollodori puto posse invenire.“ paullo autem pleniorem Chronicorum imaginem ex

77) **Περὶ τῶν φιλοσόφων** [VH¹ VIII] col. III. textum, qualis exstat in papyro denuo inspecta et in apographo Oxoniensi, W. Croenerti acceptum refero humanitati; lacunas maxima ex parte Dielesius explevit.

6. „καὶ Ἀπολλό[δω]ρος δέ τὸ κα[θηι-
ρ]ῆσθαι [τίθησι τ]ὴν πόλιν [ἐπ' Ἀν-
τιπ]άτρου τ[οῦ] πρὸ Ἀρρενείδ[ου
καὶ φρουρὰ[ν εἰς] τὸ Μουσεῖον [τότε
10. εἰσῆχθ[αι ὑπ'] Ἀντιγόνου [καὶ τὰς
ἀρχὰς [ἀνῃρῆσθ]αι καὶ πᾶν ἐν[ὶ
βουλεύ[ειν? ἐφ]εῖσθαι· δῆλον
οὖν κτλ.“

fragmentum summam sibi vindicat auctoritatem, quippe quod ansam det ad diiudicandam quaestionem gravissimam, qua de multum sudaverunt viri docti. elucet enim e Philodemi verbis Athenas captas esse ab Antigono archonte Antipatro a. 265/4 — sic enim explendum esse videtur nomen, cum Antipater archon appareat CIA IV 616b, quo e lapide tamen ad annum eius definiendum nihil lucramur —, quippe cum archon ille Arrheneidem a. 264/3 regnantem praecesserit. sed de Arrheneidis anno deque ipso Philodemi loco fusius dicam ad Apoll. fr. 81 et 88. id tamen hic commemorabo, quod acute perspexit Dielesius, Antipatri nomen ideo quoque commendari, quia verba **τὸν πρὸ τοῦ Ἀρρενείδου** cognominem spectant a. 389/8 archontem.

78) Ad Attic. XII 23, 2.

iis, quae aqud Stephanum Byzantium potissimum exstant, fragmentis restituere possumus, quae etsi plerumque nuda urbium nomina exhibent, tamen, si librorum numeri adiecti sunt, summa cum probabilitate ad certa referuntur facta. sic fr. 1[79]) epochae enumerantur, quibus tempora ol. 1 priora distinxit Apollodorus; ad antiquissimam Graeciae historiam spectant fr. 32—34[80]), ad Lacedaemoniorum fr. 2. 5. 8. 9[81]), ad Corinthiorum fr. 3. 11[82]), ad Themistoclem fr. 30. 31[83]); ad Siciliae historiam fr. 35. 36. 38. 63. 64. 66. 120[84]); ad Atheniensium fr. 65. 119[85]); ad Philippi et Alexandri Magni fr. 61. 67[86]); ad diadochorum fr. 89. 90[87]); ad Apollodorum Cassandreae tyrannum fr. 91[88]); ad Ponti reges fr. 87[89]); ad Lagidas fr. 92[90]); ad Seleucidas fr. 98. 110[91]); ad Attalidas fr. 109. 118[92]). neque Romanorum historiam omisit Apollodorus, quippe ad quam spectent fr. 93—96. 111—116[93]). videtur autem eorum res enarrasse inde a Pyrrhi expeditione, siquidem fr. 96 fortasse ad bellum Punicum primum referendum est, fr. 93 certo ad Hannibalem, fr. 95 ad bella cum Macedonibus et Illyriis gesta, fr. 111 ad bellum servile, fr. 112—116 ad bellum Gallicum. contra errant, qui[94]) et Eratosthenem et Apollodorum Romae conditae annum commemorasse contendunt, unde sequeretur eos etiam res Romanorum inde ab Urbe condita enarrasse. nam epocham Urbis ab Eratosthene quidem traditam non esse luce clarius apparet ex nobili eius fragmento, quod Clemens Alex. Strom. I 138 p. 402 P servavit. enumeratis enim epochis Eratosthenicis sic pergit:

79) Porphyr. ap. Euseb. chron. I p. 190, 23. Diodor. I 5, 1 [fr. 73 M.].
80) Steph. s. Χήσιον. Δύμη. [fr. 49. 45 M.].
81) Diodor. ap. Euseb. chron. I p. 221 sqq. Porphyr. ib. p. 190, 28 et Plutarch. Lyc. 1. id. ib. 7.
82) Diodor. ap. Euseb. chron. I p. 219 sqq. Diog. I 95. 98.
83) Cic. Lael. 42. Steph. s. Μυοῦς [fr. 48 M].
84) Steph. s. Σικανία, Ἕλωρος. Schol. Pind. Ol. I 13. Steph. s. Μεναί. Νόαι. Ἰδρανόν. Ἀσσώριον. [140. 47. 148. 50. 51. 124. 46 M.]
85) Steph. s. Ὕκαρον. Χαλκητόριον. [53. 65 M.]
86) Diog. V 10 et Solin. XL 4. Steph. s. Χαιρώνεια. [55 M.].
87) Steph. s. Ἀμαξιτός. Αὐτομάλακα. [56. 130 M.]
88) Steph. s. Δίγγος. [57 M.]
89) Syncell. p. 523, 5. [100 M.]
90) Steph. s. Φιλωτέρα. [143 M.]
91) Ioseph. c. Apion. II 83. Steph. s. Δῶρος. [104. 63 M.]
92) Steph. s. Καινοί. Etym. M. p. 331, 38. [64. 150 M.]
93) Steph. s. Ζάκανθα. Ὠρεός. Πάρθος. Μέσμα. Ἀμήστρατος. Αἰδούσιοι. Ἰσόεργοι. Ἀλλόβρυγες. Φαβία. Ἀερία. [58a. 146. 66. 61. 60. 62. 127. 54. 59 M.]
94) Ungerus Rh. Mus. XXXV. 1880. p. 19 sq., ubi vel duas Urbis epochas dedisse Eratosthenem contendit; id. Philol. XLI. 1882. p. 604. Holzapfelius Röm. Chron. p. 112, 2. 232. 237 sq. cf. not. 96.

„πάλιν ἀπὸ τῆς πρώτης ὀλυμπιάδος ἔνιοί φασιν (!) ἐπὶ Ῥώμης κτίσιν συνάγεσθαι ἔτη εἴκοσι τέτταρα.“ idem Dionysius docet Halicarnassensis, qui ipse Eratosthenis usus Chronicis temporum descriptionem eius Clementi praebuisse videtur, verbis his [antiq. I 74, 2]: „Κάτων δὲ Πόρκιος Ἑλληνικὸν μὲν οὐχ ὁρίζει χρόνον, ἐπιμελὴς δὲ γενόμενος, εἰ καί τις ἄλλος, περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας ἔτεσιν ἀποφαίνει δυσὶ καὶ τριάκοντα καὶ τετρακοσίοις ὑστεροῦσαν (sc. Ῥώμης κτίσιν) τῶν Ἰλιακῶν. ὁ δὲ χρόνος οὗτος ἀναμετρηθεὶς ταῖς Ἐρατοσθένους χρονογραφίαις κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος πίπτει τῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος [752/1]. ὅτι δέ εἰσιν οἱ κανόνες ὑγιεῖς, οἷς Ἐρατοσθένης κέχρηται, καὶ πῶς ἄν τις ἀπευθύνοι τοὺς Ῥωμαίων χρόνους πρὸς τοὺς Ἑλληνικούς, ἐν ἑτέρωι δεδήλωταί μοι λόγωι.“ datum erat igitur Dionysio temporis spatium, quo a Troia capta Romam conditam distare Cato dixerat. quem numerum, ut olympiadem efficeret, deduxit ab Eratosthenis epocha Troiana. quid? quod epocham Romanam, quam hoc modo effecit Dionysius, in Eratosthenis opinionem, quam de Urbis Romae conditore habuit, omnino non quadrare certo constet.[95]) actum est igitur de Eratosthenis aera Romana. neque aliter rem sese habere de Apollodoro[96]) concedet quisquis libero iudicio perlegerit[97]) quod afferunt testimonium ad comprobandam falsam istam opinionem, Solini dico locum [I 27]: „Cincio Romam duodecima olympiade placet conditam; Pictori octava; Nepoti et Lutatio opiniones Eratosthenis et Apollodori comprobantibus olympiadis septimae anno secundo [751/0]; Pomponio Attico et M. Tullio olympiadis sextae anno tertio. conlatis igitur nostris et Graecorum temporibus invenimus incipiente olympiade septima Romam conditam, anno post Ilium captum quadringentesimo tricesimo tertio. quippe certamen Olympicum, quod Hercules in honorem atavi materni Pelopis ediderat, intermissum Ifitus Eleus instauravit post excidium Troiae anno quadringentesimo octavo [cf. Apollod. fr. 7]. ergo ab Ifito numeratur prima olympias. ita sex mediis olympiadibus interiectis, quibus

95) Serv. ad. Verg. Aen. I 273 „Eratosthenes Ascanii, Aeneae filii, Romulum parentem urbis refert“.

96) Relicto enim Eratosthene Apollodorum saltem Urbis epocham commemorasse putant Bergkius l. l. p. 5 sq. Collmannus de Diod. Sic. fontt. 1869. p. 34 sq. Trieberus Hermes XXVII. 1892. p. 323, 3, qui mira protulit. ne Soltauius quidem prorsus respuit hanc opinionem [Neue Jahrb. CXXXI. 1885. p. 554].

97) Verum iam viderunt Niebuhrius Röm. Gesch. I⁴. 1833. p. 282, 700. Soltauius Neue Jahrb. l. l. Röm. Chronol. 1889. p. 272. Niesius Hermes XXIII. 1883. p. 102. Wachsmuthius de Eratosth. p. 3 sqq. Einl. p. 134. Schwartzius die Königslisten p. 4, 3.

singulis anni quaterni computantur, cum septima coeptante Roma condita sit, inter exortum Urbis et Troiam captam iure esse annos quadringentos triginta tres constat.“ elucet e toto huius loci contextu, ubi mirum in modum aeras Catonis et Nepotis miscuit Solinus, verba „opiniones Eratosthenis et Apollodori comprobantibus“ nihil aliud significare atque Dionysii „ὁ δὲ χρόνος οὗτος ἀναμετρηθεὶς ταῖς Ἐρατοσθένους χρονογραφίαις;“ i. e. fundamentum computationis aeram esse Eratosthenis Troianam. nam si ipsam Romae epocham commemorassent chronologi Eratosthenes — quod hunc quidem non fecisse vel alia de causa satis constare modo vidimus — et Apollodorus, quomodo fieri potuisset, ut inter se discreparent? nam Dionysius Eratosthenis canone nisus effecit ol. 7, 1, quae epocha Clementis quoque computo subest; Nepos autem et Lutatius opiniones Eratosthenis et Apollodori comprobantes ol. 7, 2 effecerunt. quomodo porro factum esset, ut inter se discreparent Nepos et Atticus, quamquam hic quoque Apollodori Chronicis usus esse videtur [fr. 30]? quid denique significaret illud „conlatis igitur nostris et Graecorum temporibus“ nisi idem atque Dionysii „πῶς ἄν τις ἀπευθύνοι τοὺς Ῥωμαίων χρόνους πρὸς τοὺς Ἑλληνικούς;“ scilicet deducta esse ab epocha Troiana annos inter Troiam captam et Urbem conditam, ut olympias exiret? quae nemo intelleget, qui ipsum Romae conditae annum ab Apollodoro commemoratum esse sibi persuaserit. nihil igitur concludemus e Cicerone [de rep. II. 18]: „nam si, id quod Graecorum investigatur annalibus, Roma condita est secundo anno olympiadis septumae,“ nisi illud: adhibuisse Ciceronem Nepotis chronica, qui epocha usurpata Troiana ut Eratosthenica ita Apollodorea, quod dilucide eum declarasse Solinus prodit, Urbis epocham in hoc anno collocavit. quo autem modo quibusque de causis intervallum inter Troiam captam et Romam conditam definierit Nepos, id nihil ad nos, quia nihil ad Apollodorum. nam quod Holzapfelius[98]) Apollodorum Albanorum regum laterculum novisse contendit, argumento usus virgula quadam ab Hieronymo ad Eusebii Canonem adiecta[99]), quam longe aliter explicandam esse ad calcem fr. 4, quod est de Homeri temporibus, demonstrabo, nemini puto hoc persuadebit.

98) Röm. Chronolog. 1885. p. 276.

99) Hieronym. chron. ad a. Abr. 1104: „In Latina Historia haec ad verbum scripta reperimus: Agrippa apud Latinos regnante Homerus poeta in Graecia claruit, ut testantur Apollodorus grammaticus et Euforbus [i. e. Ephorus] historicus, ante Urbem Romam conditam ann. CXXIII et, ut ait Cornelius Nepos, ante olympiadem primam annos C.“

Licet igitur falsam Chronicorum imaginem praebeant quae nobis quidem servata sunt fragmenta, tamen a vero certe non aberrabimus, si contendemus Apollodorum, sicut ante eum Eratosthenem[100]) et ante Eratosthenem iam Marmoris Parii auctorem[101]), magis etiam quam rebus civilibus virorum inlustrium vitis enarrandis studuisse, ita ut magnam nostroque fortasse iudicio nimiam operis partem occuparet litterarum atque philosophiae historia, quod studium nemo mirabitur in homine et Atheniensi et Alexandrino[102]). quam Chronicorum indolem non tam fragmenta, quae in Indice Academicorum exstant, docent, quippe quibus ut ad historiam contemporaneam spectantibus iusto fusius suae aetatis memoriam prosecutus sit[103]), quam trium priorum librorum fragmenta, quae, etsi non ad verbum integra aetatem tulerunt, cum plerumque nihil e Chronicis enotatum sit nisi temporis notatio, tamen sat bene indicant, quot quamque varias res Apollodorus commemoraverit. Sic e vita Empedoclis [fr. 46 = 87 M.] versus adhuc exstant 11, multo plures fuisse quae exstant produnt; enarravit enim non solum totam hominis vitam tam accurate, ut dies etiam natales clarorum virorum vel mensem, quo mortui essent, adnotaret[104]), testibus quibus usus est commemoratis[105]), sed opera etiam hominum recensuit[106]) et inventa[107]), victorias a tragoediarum et comoediarum scriptoribus reportatas probe distinctis victoriarum generibus, sive Magnis Dionysiis sive Lenaeis reportata erant[108]); enumeravit philosophorum discipulos ut clariores et qui in schola regenda magistrum exceperunt ita ignobiliores, quorum notitiam nos ex parte tantum Chronicis debemus[109]); eadem adnotavit diligentia magistros, quibus quisque usus esset[110]); immo indoles atque mores auctoritatemque atque gratiam, qua apud aequales floruissent, paucis verbis indicabat[111]). recensuit autem ut philosophos et sophi-

100) Fragm. 4. 5. 8. 10—15 Muell.

101) cf. E. Doppium Quaest. d. Marm. Par. 1883. p. 5.

102) cf. Dielesium l. l. p. 12 et quae de Nepotis Chronicis dixit Muenzerus Beitr. zur quell. d. naturg. d. Plinius p. 337 sq.

103) Versibus 13 de Boetho egit, philosopho sat ignobili, cuius ne nomen quidem alibi apparet [fr. 107], plus 12 de Charmada [fr. 106] neque paucis de Melanthio [fr. 105].

104) Fr. 49 [82 M.]. 55 [89 M.]. 79 [95 M.]. 107.

105) Fr. 17 [79 M.]. 46 [87 M.]. 50 [84 M.].

106) Fr. 17]79 M.] 69. [98 M.]. 80 [96 M.].

107) Fr. 17 [79 M.]. 58 [93 M.].

108) Fr. 40. 80 [96 M.]. 86 [93 M.]. 105.

109) Fr. 73. 74.

110) Fr. 107.

111) Fr. 81. 104. 105. 106. 107.

stas, ad quos longe maior spectat fragmentorum pars[112]), ita poetas[113]), sapientes atque legumlatores[114]), historicos[115]), medicos[116]), mathematicos[117]), rhetores[118]). neque artificum neglexit chronologiam, etsi huius partis pro indole fontium praeter fr. 117 [Diog. VI 101], ubi pictores duo alioqui prorsus ignoti commemorantur, certa fragmenta non exstant. nam quod artificum aetatum descriptionem, quam Plinius in Naturalis Historiae libris XXXIV—XXXVI singulis partibus praemisit, iterum iterumque ad Apollodorum revocant auctorem[119]), res neque probari potest neque verisimilis est, etsi de multis ex artificum a Plinio recensitorum numero quin eadem protulerit etiam ille dubium non est, cum ut eius ita Plinii auctoris computi ipsorum artificum operibus, si qua ad certum terminum referri potuerint, nitantur.

112) Fr. 15 [76 M.]. 17 [79 M.]. 18 [80 M.]. 21. 22 [77 M.]. 23. 24. 26. 27. 28 [83 M.]. 29. 39 [81 M.]. 42—46 [85—88 M.]. 49 [82 M.]. 50 [84 M.]. 54. 55 [89 M.]. 56. 57. 59 [92 M.]. 62 [94 M.]. 68. 69 [98 M.]. 70 [99 M.]. 71. 72—75. 76 [97 M.]. 77. 78—79 [95 M.]. 81—83. 84 [101 M.]. 99—107.

113) Fr. 4 [74 M.]. 6. 10. 19. 20 [81 a M.]. 25. 37. 40. 41 [90 M.]. 52 [91 M.] 53. 80 [96 M.]. 86 [93 M.].

114) Fr. 5 [75 M.]. 11. 12 [78 M.]. 13. 14. 16.

115) Fr. 47. 85 [103 M.].

116) Fr. 51.

117) Fr. 58 [93 M.).

118) Fr. 60.

119) M. S. F. Schoellius Gesch. d. Griech. Litt. II. 1830. p. 348. Furtwaenglerus Neue Jahrb. suppl. IX. 1877. p. 19: „mir scheint daher der annahme, dass Pl. selbst den Apollodor benutzte, nichts entgegenzustehen.“ Loeschckius Histor. Unters. A. Schaefer gew. 1882 p. 44 „Apollodor, dem Plinius das gerüst seiner chronologie zu verdanken scheint.“ quos quamquam iusto iure refutavit Robertus Hermes XIX. 1884. p. 313 sqq. Philol. Unters. X. 1886. p. 46 sq., tamen nuperrime eandem atque Furtwaenglerus iniit rationem A. Kalkmannus Die quellen der kunstgesch. d. Plinius 1898 p. 1 sqq., cuius ex argumentis nullum in unum cadit Apollodorum, cum non minus quadrent in chronographos ceteros sive in alios scriptores. nam quae de ἀκμῇ dixit (p. 13) male intellecta Dielesii disputatione nituntur, cum nunquam neque chronographi neque historici neque cuiuslibet generis scriptores tempora hominis, quo de certi nihil constabat, aliter definierint atque ἀκμῇ eius definita. Apollodori est hanc ἀκμὴν in vitae anno quadragesimo collocare, ut annos natales et fatales exactos efficiat; cuius artis in Plinii artificum chronologia nec vola nec vestigium. sed de hac Apollodori arte alio loco agam, ubi ne olympiadibus quidem, ut Plinii auctorem — cui rei ad probandam quam proposuit opinionem vel per se parum idoneae multum tribuit Kalkmannus — usum esse Apollodorum, sed archontibus Atticis, demonstrabo. quae porro protulit ille, minus etiam valent, velut color poeticus, quem in nonnullis locis Plinianis e chronographo desumptis indagasse sibi visus est (p. 14 sq.). audacem denique eius coniecturam, qua Apollodorum artificem

commemoravit denique Apollodorus res ad antiquitates spectantes[120]) necnon mirabilia, ut piscium mansuetorum in Heloro flumine degentium[121]) mentionem inecit, fortasse etiam terrae motus, quo nata est Hiera insula[122]), quamquam de hoc fragmento dubitari potest.

7.
De Chronicorum Apud Posteros Auctoritate.

Quam rerum multitudinem si quis perlustraverit diligentiaeque atque fidei Apollodori, quae vel in fragmentis sat dilucide apparet, rationem habuerit, non mirabitur, quod statim in lucem edito eius libro in oblivionem ibant priorum chronographiae et quod semper et ubique testis gravissimus et, ut ita dicam, classicus citatur Apollodorus non solum in quaestionibus mere chronologicis, sed in iis quoque, quae et ad historiam civilem, ut fr. 88 et Ciceronis locus s. l. docent, et ad ipsas philosophorum doctrinas magis spectant, quam ad vitas eorum et tempora; velut contra Stoicos nonnullos ad Apollodorum provocat Philodemus, ubi de Zenonis disserit in Stoicorum schola auctoritate[123]). quantam autem gratiam statim sibi conciliaverint Chronica, luculentissime docent Ps. Scymni et ipsa chorographia ad exemplum operis Apollodorei instituta — neque dubito, quin ex parte etiam temporum notationes ex eo hauserit chorographus — et laudes, quibus extollit ea:

v. 46. *„Ἃ καὶ διὰ πάσης γέγονε τῆς οἰκουμένης*
ἀθάνατον ἀπονέμοντα δόξαν Ἀττάλωι
τῆς πραγματείας ἐπιγραφὴν εἰληφότι.“

docent porro Gellii verba [fr. 80], qui nonnullos affert versus „scriptoris celebratissimi“, ut taceam de aliis iudiciis in universum magis Apollodorum, quam chronographum, extollentibus, velut Stephani Byzantii s. v. *Ὠρικός: „Ἀπολλόδωρος ὁ θαυμασιώτατος“* et Heracliti qui dicitur de alleg. Hom. 7 p. 12 Mehl. *„Ἀπολλοδώρωι περὶ πᾶσαν ἱστορίαν ἀνδρὶ δεινῶι“*. minus fortasse tribuemus Tzetzae laudibus

et Apollodorum chronographum a Plinio contusos esse contendit, non est cur refutem. id sane constat Plinium, si usus est Apollodoro, quod equidem praefracte nego, non ipsis usum esse Chronicis, ut Kalkmannus putat, sed scriptore quodam, qui Apollodorum excerpserat.

120) Fr. 49. 55 [82. 89 M.].

121) Fr. 36 [47 M.].

122) Fr. 108. Steph. Byz. s. *Θηρασία.*

123) Fr. 81. Philodem. *π. φιλοσ.* col. XI 4 sqq.

[Chil. VII 761], quae — pace eius dixerim — magis ad diminuendam Apollodori gloriam facere nobis videntur:

„Ὁ δέ γε Ἀπολλόδωρος . .
Ψυχὴν ἐπαληθίζουσαν ὥσπερ ὁ Τζέτζης ἔχων;“

accedit autem, quod nemo puto sibi persuadebit Chronica ipsa in manibus fuisse Tzetzae, praesertim cum unam, quam ex iis affert temporis notationem, a computo vere Apollodoreo prorsus discrepare constet[124]).

Sed quod gravius est atque utilius ad sciendum, Chronica, ubi edita sunt, statim permulti variique generis scriptores in suum usum converterunt. e quibus primus, quantum nos quidem videmus, iam exeunte saec. II a. Chr.[125]) Apollodorum adhibuit Academiae biographus[126]), quem vocat Wilamowitzius[127]); quo a biographo usque ad Carneadis diadochos Academiae historiam perducente et Chronicorum editionem iam alteram adhibente pendent et Philodemus et Diogenes. Philodemus tamen non e biographo tantum hausit Apollodorea, sed et ipse[128]) adsidue usus est Chronicis, non semel provocans ad eorum testimonium. socordia autem eius scribae factum esse, ut haud pauci eorum versus integri ad nos pervenirent, supra dictum est. nec non et alium Philodemi auctorem in conscribenda Stoae historia, Stratoclem dico Rhodium Panaetii discipulum[129]), temporum notationes, quas dedit, Apollodoro[130]) debere non sine veritatis specie contendimus. sane non mentitus est Ps. Scymnus, cum iam ineunte saec. I totam terram peragrasse Chronica praedicavit.

Neque multo post Academiae biographum in componendis philosophorum Successionibus, ut melius quam priores chronologiae consuleret, qua neglecta factum erat, ut miras easque temporum rationibus plane repugnantes successiones constituerent, Apollodori Chronicis[131])

124) Chil. XII 191 sqq. XIII 647 sq. Exeg. in Iliad. p. 18, 14. 21, 14 Herm. quibus locis omnibus Homerum ex Apollodori sententia annis post Troiam captam octoginta floruisse contendit, cum constat illum mediam poetae aetatem in anno post Troiam captam ducentesimo quadragesimo collocasse. quo de errore plura dicam ad calcem fr. 4.

125) Unde cognoscas, quantum valeat Ungeri opinio [Philol. XLI p. 632]: „benutzung der chronik Apollodors lässt sich vor 60 nicht nachweisen“.

126) Apollod. fr. 56. 57. 68. 69 [98 M.]. 70 [99 M.]. 71. 72. 99. 103. 104.

127) Philol. Unters. IV. 1881. p. 45 sqq.

128) Apollod. fr. 73. 74. 81. 88. 100—102. 105—107.

129) Ind. Stoic. Herc. col. XVII 6.

130) Fr. 83. Ind. Stoic. col. XXVIII sq.

131) Apoll. fr. 11 [Sosicr. fr. 14 FHG IV p. 502]. 12 [Sosicr. fr. 13]. 14 Sosicr. ap. Diog. I 62, quod omisit Muellerus]. 14 not. 9 [Sosicr. fr. 15]. 15

usus est Sosicrates Rhodius, Philodemi ut videtur aequalis[132]). sed tenue exstat vestigium[133]) illum iam non ipsa inspexisse Chronica, sed synchronismorum tabulas res gestas in annos singulos disponentes, quarum auctor Apollodorum excerpserat. nam haud ita multo post Apollodori tempora chronographi sanum eius iudicium in circumscribendo spatio, quod Varro dixit, historico respuentes Assyriorum aliorumque Asiae populorum tempora iterum induxerunt in chronographiam. unde ex parte etiam factum est — nam aliae quoque erant causae[134]) — ut iam non ipsis Chronicis Apollodori uterentur homines,

---

[Sosicr. fr. 10]. 16 [Sosicr. fr. 12]. omnino libri primi Laertiani temporum notationes per Sosicratem ex Apollodoro fluxisse videntur.

132) De ratione, quae inter Apollodorum et Sosicratem intercedit, recte iudicavit Dielesius l. l. p. 20 sq. plaudentibus Buedingero Abh. d. Wien. Akad. XCII. 1878. p. 214 sq. et Rohdio Rh. Mus. XXXIII p. 212. scripsit Sosicrates post Hermippum [Diog. I 106] et post Satyrum [id. VI 80]; Panaetio eum posteriorem fuisse colligitur e Diog. VII 163 „Παναίτιος δὲ καὶ Σωσικράτης μόνας αὐτοῦ τὰς ἐπιστολάς φασι, τὰ δ' ἄλλα τοῦ Περιπατητικοῦ Ἀρίστωνος". contra dubius est alius Diogenis locus [II 84] „ἔνιοι δὲ καὶ διατριβῶν αὐτον (Aristippum) φασιν ἓξ γεγραφέναι, οἱ δ' οὐδ' ὅλως γράψαι· ὧν ἐστι καὶ Σωσικράτης ὁ Ῥόδιος. κατὰ δὲ Σωτίωνα ἐν δευτέρωι καὶ Παναίτιον ἔστιν αὐτῶι συγγράμματα τάδε." nam quod Nietzscheus Rh. Mus. XXIV p. 187 sq. coniecit Σωσικράτης καὶ Παναίτιος ὁ Ῥόδιος. κατὰ δὲ Σωτίωνα ἐν δ. ἐστ. κτλ. plaudentibus Dielesio et Ungero Philol. XLI p. 618, qua probata coniectura cum Buechelero [ad Acad. Philos. Ind. Herc. col. XXIV 8] Sosicratem Successionum scriptorem eundem putare liceret atque Sosicratem Alexandrinum Carneadis discipulum, incertissima est coniectura, cum ne id quidem constet, num opera illa a Sotione Aristippo abiudicata dialogi fuerint, nedum dialogi Socratici, quales non scripsisse eum Panaetius contendit [Diog. II 64]. cf. Zellerum Ph. d. Gr. II a[4] p. 344, 1. Susemihlium Alex. Litt. I p. 506, 72. II p. 76, 58. Hirzelium „Dialog" I p. 109, 1. sed sufficit ad Sosicratem Panaetio posteriorem demonstrandum alter Diogenis locus, quem supra attuli. certius etiam de eius aetate iudicabimus, si recte, quod mihi quidem verisimillimum est, Sosicratem tangi putat Gomperzius [Zeitschr. f. d. österr. gymn. XXIX. 1878. p. 253] a Philodemo π. φιλοσ. VH[1] VIII col. XIII: „ἀλλὰ γὰρ ἐπεὶ τινες τῶν καθ' ἡμᾶς καὶ περὶ τῆς Διογένους ** διστάζουσιν Πολιτείας κτλ." nam Satyrum et Sosicratem Πολιτείαν abiudicasse Diogeni e Diog. VI 80 discimus. Philodemus autem cum aequalis fere Ciceronis fuerit, eidem aetati etiam Sosicratem adsignabimus. utique igitur post Apollodorum scripsit, quod confirmatur etiam fragmentis, de quibus hic disputare non licet. distinguendus autem est Successionum scriptor a rerum Creticarum auctore, quo ipsum Apollodorum usum esse testatur Strabo X p. 475.

133) Qua de re ad calcem fr. 15 [76 M.] dicam. sane duplici modo, et olympiade et archonte nominatis, annos signare solitus est Sosicrates: Diog. I 62. 68. 101.

134) Imprimis molestum erat legentibus, quod ad annos signandos non olympiadibus, sed archontibus Atticis usus est Apollodorus, quod nunc luce

sed eorum, qui ea excerpserant, libris. cuiusmodi scriptoribus adnumerandus est Diodori auctor chronographus[135]). nam sive Castor fuit[136]) sive alius quis, quam quaestionem equidem non diiudicaverim, etsi illud confirmare videntur et tempora, quae complexus est, et indoles operis[137]), id post Dielesii disputationem[138]), cuius argumenta augeri possunt, certo constat non ipsis Chronicis usum esse Diodorum, licet iterum iterumque hoc contendant viri docti[139]). immo inter Diodorum et Apollodori Chronica eadem intercedit ratio atque inter illius librum quintum et huius commentarios de Navium Catalogo[140]); scilicet manifestum est non ipsos commentarios perlegisse eum, sed alium auctorem quendam, qui cum Apollodoreis aliorum opiniones conglutinaverat. neque huic opinioni repugnat, quod interdum ipsa Chronica inspexit Diodorus, quod vel ex I 5, quem locum supra citavi, elucet, cum idem fecisse etiam Gellium constet. auctor autem Diodori adsidue usus est Chronicis quater etiam laudato Apollodori nomine, ita ut fortasse multo plura, quam quae inter fragmenta referenda esse putavi, ad eum revocanda sint. ceterum Castorem sive Diodori fuit auctor sive non fuit, et ipsum Apollodori Chronicis usum esse vel per se verisimile est, etsi probari non potest. nam quod Josephus c. Apion.

---

clarius cognoscitur ex Indice Academicorum, ita ut praeter Chronica etiam Ἀρχόντων Ἀναγραφή inspicienda esset iis, qui Chronicis uterentur.

135) Apollod. fr. 1b [73 M.]. 2 [75 M.] 3. 37. 40. 41 [90 M.]. 52 [91 M.]. cf. fr. 24. 50 [84 M.].

136) Ut putant de singulis rebus inter se discrepantes confidentius alii, alii dubitantius locuti Collmannus De Diod. Sic. fontt. 1869. p. 26 sqq. Bornemannus de Castoris Chronicis Diodori Sic. fonte ac norma 1878. Gelzerus Bursian. Jahrb. 1873. II. p. 1064. Afric. II 1. 1885. p. 81. 87. Ungerus Philol. Anzeig. X. 1880. p. 373 sqq. Wachsmuthius ap. Cichorium Leipz. Stud. IX. 1887. p. 216 sqq. et ap. Baderum De Diodori rer. Rom. auct. 1890 p. 58 sq. Einleit. p. 102. 131, 3. 141. Susemihlius Al. Litt. II p. 370 sq. Busoltius Gr. G. III 1. 1897. p. 22.

137) Susemihlius l. l. p. 367 sqq. Wachsmuthius Einleit. p. 139 sqq. cf. etiam Swobodam Archaeol. Epigr. Mittheil. aus Oesterr. VII. 1883. p. 15 sqq.

138) l. l. p. 31 sq., qui utitur imprimis fr. 24 et 50 [84 M.], quibus addas fr. 40. 42 [90 M.].

139) E. Cauerus de fontt. ad Agesil. hist. pertin. 1847. p. 47 sqq. Volkmannus Über d. quellen d. griech. u. sic. gesch. b. Diodor; buch XI—XVI. 1868. p. 12, qui ipse opinionem, quam ne Muellero quidem [FHG V. 1869. p. XXIX 4] persuaserat, reliquit [Bursian. Jahresb. 1879. III p. 121 sq.]. Mendelssohnius Act. Soc. Philol. Lips. II. 1872. p. 182 sq. F. Reussius Hieronymus v. Kardia. 1876. p. 121. Ungerus Philol. XL. 1881. p. 83 sqq. XLI. 1882. p. 635, 25. Neue Jahrb. CXLIII. 1891. p. 468 sq.

140) cf. E. Bethium Hermes XXIV. 1889. p. 445.

II 83[141]) testes citat ut alios historiae scriptores ita Apollodorum hisce verbis: „et Castor temporum conscriptor et Apollodorus", dubitari potest, utrum Apollodori nomen Castoris Chronicis, quibus saepius usus est[142]), debeat an ex more hominum vana iactantium multorumque scriptorum nobilium nomina componentium, ut rem per se notam comprobent, sic Apollodorum quoque adiecerit. quod autem Schwartzius vel Ps. Apollodoreis usum esse Castorem contendit, hoc a veritatis specie abhorrere supra intelleximus.

E Graecis saec. I a. Chr. scriptoribus praeter illos, quos enumeravi, Apollodori libros noverunt Demetrius Magnes, cuius e Cognominibus Apollodorea devenisse videntur ad Plutarchum[143]) et Diogenem[144]), et Dionysius Halicarnassensis[145]), qui tamen etiam Eratosthenis Chronica adhibuit[146]). e Dionysio ut Eratosthenica ita Apollodorea hausisse videntur Clemens Alexandrinus[147]) et Hesychius Milesius[148]), fortasse etiam Tatianus.

E Romanis autem primus Apollodoro usus est Q. Lutatius Catulus consul a. 102 a. Chr.[149]), quem aeram Troianam Apollodoream amplexum esse Solinus tradit [I 27], cuius locum supra attuli. tamen de hoc parum constat, cum Eratosthenem secutum esse eum e Solini verbis „opiniones Eratosthenis et Apollodori comprobantibus" fortasse conicias. eodem autem fere tempore, quo Castor, cuius opus inter a. 60 et 50 a. Chr. emissum est, vel paucis annis ante tribus libris Chronica conscripsit Cornelius Nepos, quem in rebus Graecis nihil fecisse nisi religiose, quamquam non sine erroribus interdum gravissimis, Apollodori[150]) calculos reddidisse satis elucet e Ciceronis, qui in chronologia ducem sequitur Nepotem[151]), temporum notationibus, quae

---

141) Apoll. fr. 98 [104 M.].
142) Fragm. 21 Muell.
143) Fragm. 60. Plutarchum ab Apollodori chronographia pendere iam C. Muellerus FHG II p. 53 intellexit.
144) cf. Dielesium l. l. p. 46. Wilamowitzium l. l. p. 322 sqq. Apoll. fr. 59 [92 M.] 60.
145) Fragm. 59 [92 M.]. 60.
146) Antiq. I 74.
147) cf. Rohdium Rh. Mus. XXXIII. 1878. p. 195, 1. XXXVI. 1881. p. 529, 2. C. Muellerum FHG IV p. 396.
148) cf. Muellerum l. l. Rohdium l. l. XXXIII p. 198.
149) Nam ad illum revocanda esse ea quoque fragmenta, quae e libro quodam Lutatii de antiquitatibus fluxerunt, probavit Peterus HRR I. 1870. p. CCLXXV.
150) Fragm. 4—7. 10. 19. 20. 23 b. 24. 30. 61 b.
151) De ratione inter Ciceronem et Nepotem intercedente cf. fr. 4. 5. 7. 19. 20. 23 b. 30. Krischeum De soc. Pyth. scop. pol. 1831. p. 9 sq. Rohdium l. l. XXXVI p. 533.

ad Homerum Lycurgum Olympiadum institutionem Pythagoram Themistoclem spectant, ita ut fortasse haud male Rohdius[152]) contenderit eandem inter Apollodorum et Nepotem intercessisse rationem, qualem inter Eusebium et Hieronymum intercedere nos quoque cognoscimus. neque Nepos auctorem suum silentio texisse videtur — neque erat profecto, cur puderet eum talis exempli, cum sanum iudicium homo chronologiae prorsus imperitus in eligendo, quem sequeretur, auctore praestitisset — siquidem Solinus Apollodori opiniones comprobasse dicit Nepotem, quae verba, etsi hic tantum de epocha Troiana dicta sunt, sine dubio et latius pertinent et ex ipso fluxerunt Nepote, quippe quo adsidue usus sit Solini auctor chronographus.

A Nepote autem ut Cicero, quod iam dixi, ita Gellius, quod ipse fatetur[153]), quamquam hic semel etiam ipsum inspexisse videtur Apollodorum[154]), pendet; pendent porro Plinius[155]) et Solinus[156]), ita tamen, ut non ipso Nepote usi sint, sed alio scriptore, qui in suum usum converterat eius Chronica. neque mihi quidem dubium est — licet praeter eum alium quoque adhibuerit scriptorem, qui quis fuerit non constat — quin nonnulla, quae proxime accedunt ad eius chronologiam Apollodoro debeat Velleius Paterculus[157]). Cicero autem non ex Nepote solum, sed etiam ab Attico doctrinam Apollodoream repetivit, quippe qui et litteris ab Attico rogaverit[158]), ut sui causa inspiceret Chronica, et qui eius libro annali inter a. 51 et 46 edito usus sit[159]). Atticum autem in rebus externis Apollodori vestigia pressisse verisimillimum est[160]).

---

152) l. l. XXXVI. p. 535, 1 cf. Wachsmuthium Einl. p. 143. Nepotem ab Apollodoro pendere vidit iam O. Muellerus ap. Krischeum l. l. p. 9, 2.
153) Noct. Att. XVII 21, 3. 8. 24. totum caput e Varrone et Nepote conflatum est.
154) XVII 4, 5 [Apoll. fr. 80. 96 M.]. fortasse eo tempore, quo Athenis versatus est. cf. Teuffel-Schwabium Röm. Litt.[5] § 365, 3.
155) Frag. 17. 47. cf. Muenzerum l. l. p. 334 sqq.
156) Fragm. 4. 6. 7. 61 b.
157) Vellei. I 5, 2 cf. Apoll. fr. 4. id. I 7, 1 cf. fr. 6.
158) Ad Attic. XII 23, 2 „Quibus consulibus Carneades et ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali; haec nunc quaero, quae causa fuerit? de Oropo, opinor, sed certum nescio, et, si ita est, quae controversiae? praeterea qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui praefuerit hortis? qui etiam Athenis πολιτικοὶ fuerint illustres? quae te etiam ex Apollodori puto posse invenire".
159) cf. Schanzium G. d. Röm. Litt. I². 1895. p. 201 sq.
160) Fragm. 30. cf. Wachsmuthium Einleit. p. 144.

Per hos aliosque auctores multos Apollodori numeri pervenerunt ad scriptores Christianos[161]), ad Diogenem Laertium, ad Porphyrium[162]), ad Stephanum Byzantium, ad Longaevorum scriptores[163]), ad Eusebium, ad Suidam, quippe qui in glossis, quae ad philosophos spectant, ab eodem auctore, a quo Diogenes, pendeat. singulos autem locos hic enumerare longum est. ex Indice, quem fragmentorum editioni subiciam, cognoscetur, apud quos hodie exstant fragmenta Apollodori nomine insignita et, ubi de singulis fragmentis disputabo, etiam ea testimonia adnotabo, quae conveniant cum illius calculis, quamquam non ex ipsis Chronicis fluxerunt, sed per multas manus ad eos, ubi nunc leguntur, devenerunt auctores. neque ullus dubito, quin permulta ut ex Suidae de virorum illustrium temporibus notationibus, ita ex Diogenis et Eusebii temporum notationibus ad Apollodorum revocanda sint auctorem, quae, cum certa non suppeditent testimonia, aut secludere aut in adnotationibus commemorare malui; velut quae de bibliothecariis Alexandrinis, quibus temporibus vixerint, memoriae tradit Suidas, omnia ex Chronicis fluxisse mihi quidem persuasum est[164]). luculentum autem, quantum in philosophorum chronologia debeamus Apollodoro, exemplum praebet Crates Academicus, cuius vitam sat accurate eum enarrasse constat[165]). sed cum adversa factum sit fortuna, ut e Diogenis textu temporis notatio excideret, nullum omnino exstat de eius neque vitae neque principatus temporibus testimonium. neque inutile erit adnotare apud posteros in oblivionem iisse epochas Troianas fere omnes praeter Eratosthenicam Apollodori libris pervulgatam, quamquam iam antea haud paucis placuerat, unde saepius graves nati sunt scriptorum errores.

8.
De Apollodoro Eratosthenis in Chronographia Sectatore.

Sed etsi haud immerito summis laudibus extulerunt Apollodorum chronographum posteri aut nominatim aut tacite, ita ut eius Chronica eiusque computos ceteris praeferrent, tamen huius gloriae haud exiguam partem revera non Apollodorus sibi vindicat, sed dux eius ut in geographia Homerica ita in chronographia[166]) Eratosthenes Cyrenaeus. quem non solum in circumscribendo spatio, quo continentur Chronica illius, secutus est, sed in spatii quoque historici fundamentis atque epochis constituendis, quibus distinxit tempora ol. 1 priora, illius pressit vestigia. quod luculenter docebit fr. 1, ubi componemus temporum discriptionem Eratosthenicam, quam Clemens, et Apollodoream, quam Porphyrius servavit. amplexus enim est Eratosthenis epocham Troianam, migrationis Ionicae, Lycurgi legumlationis [cf. fr. 5] tempora. ex eius Chronographiis deprompsit Lacedaemoniorum regum fastos [fr. 2], quippe ex quibus tempora constituerit chronographus uterque, ut aperte testatur Plutarch. Lyc. 1 „*οἱ δὲ ταῖς διαδοχαῖς τῶν ἐν Σπάρτηι βεβασιλευκότων ἀναλεγόμενοι τὸν χρόνον, ὥσπερ Ἐρατοσθένης καὶ Ἀπολλόδωρος*“; quo de loco accuratius dicendum erit, ubi de arte Apollodori, qua usus est in rebus chronographicis, disputabo. cum Eratosthene consentit in singulis temporum notationibus, velut in aetatis ratione, quae inter Homerum et Hesiodum intercedat, constituenda [fr. 6], in facto quodam e vita Simonidis enarrando [fr. 20], in Euripidis temporibus certis terminis circumscribendis [fr. 41]; Eratosthenem secutus Empedoclem philosophum distinxit ab avo cognomine [fr. 46], dedit genealogiam Hippocratis medici [fr. 51]. artissime igitur coniunctos fuisse claros illos chronographos ne falsarium quidem fugit, qui, cum regum Thebanorum fastos [fr. 122] supponeret Apollodoro, hunc eius laterculi notitiam Eratostheni debere condendit. neque dubium est, quin multo plura, quam quae modo enumeravi, ex Eratosthenis opere mutuatus sit chronographus Atheniensis, et quin multa, quae nunc huius nomine

---

161) E quibus totus pendet ab Apollodoro Hippolytus. cf. Dielesium l. l. p. 23. fr. 15. 17. 18. 21. 22. 39. 55. permulta etiam Tatianus Chronicis debet: cf. imprimis ad Graec. 41.

162) Fragm. 1a. 6. 23. (?)

163) Fragm. 85. [103 M.]

164) Multa etiam urbium nomina, quae apud Stephanum exstant simpliciter laudato Apollodoro inter fragmenta non referam et quia incertum est, num ex Chronicis illa fluxerint, et quia parum nos docent.

165) Fragm. 69. [98 M.]

166) Quod perspexit iam Ch. A. Brandisius Rh. Mus. III. 1829. p. 110. de ratione inter Eratosthenem et Apollodorum intercedente qui nuper disseruit Niesius Hermes XXIII. 1888. p. 92 sqq., recte quidem vulgatam opinionem, quae quasi epitomam fuisse Eratosthenis Chronica Apollodori putat, respuit, haud tamen feliciter de illius iudicavit opere, etsi plausum nactus est Susemihlii [Al. Litt. I p. 423]. nisus enim operis titulo, qualem Harpocration [fr. 8 Bernh.] dedit, *Περὶ χρονογραφιῶν*, Eratosthenem librum composuisse contendit, quo doceret, quomodo conscribenda sit chronographia. sed licet paucissima exstent eius fragmenta, quod quomodo factum sit supra diximus, ea quae exstant satis docent errasse Niesium. cf. fr. 4 de Homeri aetate. fr. 7 de Pherecydibus, fr. 8 de Euenis, fr. 9 de Euripide, fr. 10 de Hippocrate. quae fragmenta locum non habent nisi in chronographia. contra Niesium disputantem audias Wachsmuthium De Eratosthene Apollodoro Sosibio p. 8 sqq.

circumferuntur, ad illum revocanda sint, qua de quaestione in tanta Eratosthenis fragmentorum paucitate diiudicari non potest. sed ipsa illa paucitas docet posteros iam minus Eratosthene usos esse, cum, quae ille dederat, et emendata et aucta et ad inferiora producta tempora in Apollodori Chronicis invenirent, ita ut post eum praeter Dionysium Halicarnassensem neminem noverimus, qui Eratosthenem adhibuerit; nam Clemens Eratosthenica Dionysio debere videtur. Tamen errant, qui putent Apollodorum nil fecisse nisi Eratosthenis Chronicis iambis inclusis adiecisse *τὰ μετ᾽ Ἐρατοσθένη* vel adeo compendi fecisse illius opus, ut commodam scholis puerulisque ad ediscendum praeberet chronographiam. nam qui paullo accuratius eius fragmenta perlustraverit, imprimis Academicorum historiam, statim intelleget tale opus non pueris fuisse destinatum, sed virorum doctorum usui et iis potissimum, qui aut de viris illustribus scriberent aut temporum discriptionibus studerent. licet porro perpauca exstent Eratosthenis fragmenta, tamen forte fortuna factum est, ut in duobus, quae propter ipsam discrepantiam inter illum et Apollodorum aetatem tulisse conicias, illius computum correctum esse videamus ab hoc. nam cum Eratosthenes Homerum floruisse statueret annis post Troiam captam centum, Apollodorus Lycurgi aequalem triginta annis priorem fecit poetam [fr. 4], quo in computo uterque argumenta e geographia Homeri deprompsisse videtur. ut hic, uter verum viderit, pro indole quaestionis diiudicari non potest, ita verior est computatio, qua Pythagorae aetatem definivit Apollodorus [fr. 24], calculis Eratosthenis, quippe quos cognominis errore, cum inconsultius victorum Olympicorum laterculis uteretur ille, natos esse adhuc appareat. fortasse tertia quoque invenitur discrepantia, de Lycurgi atque Iphiti aetate. nam cum Timaeum secutus duos distingueret Lycurgos Apollodorus posteriore una cum Iphito in prima olympiade collocato [fr. 7], Eratosthenes uno, ut videtur, contentus Lycurgo duo potius olympiadum initia distinxit, alterum non numeratarum alterum numeratarum.

Sed haec leviora, quamquam id quidem ex iis cognoscimus Apollodorum non servilem in modum magistri vestigiis institisse, sed proprio usum iudicio in diiudicandis quaestionibus chronologicis haud pauca emendasse, quae minus recte dixerat Eratosthenes. gravius vero, quod de viis atque rationibus, quibus usus ad computos suos pervenit uterque, inter se dissentiunt clarissimi illi chronographi. qua de re non hic disputabo, sed propriam potius de Apollodori arte quaestionem ipsi editioni fragmentorum reservabo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Corruptus Diogenis Laertii locus [X 14] sic corrigendus est: *Ἀρίστων ὁ Ἰ[ουλιήτης]* (*ἄριστον· οἱ* libri.)

2. Apud Dionys. Hal. ant. V. 73,3 cum libris mss. legendum est: „*ἡιροῦντο δ᾽ αὐτοὺς αἱ πόλεις οὔτ᾽ εἰς ἀόριστον χρόνον οὔτε συνεχῶς, ἀλλὰ πρὸς τοὺς καιρούς, ὁπότε δόξειε συμφέρειν. καὶ εἰς ὁ π ό σ ο ν χρόνον.*“

3. Apud Syncell. p. 523,5 „*οἱ βασιλεῖς Ποντίων δέκα* [l. $\bar{\eta}$] *κατὰ τούτους ἦρξαν χρόνους διαρκέσαντες ἔτη* $\overline{\sigma\iota\eta}$“ pro $\overline{\text{CIH}}$ scribendum est $\overline{\text{CM}}$.

4. Plinius Nat. Hist. II. 202: „inter Cycladas olympiadis CXLV anno quarto Thera et Therasia (sc. enatae sunt), inter easdem post annos LXXX Hiera eademque Automate“ somnolentum prodit excerptorem.

5. Male Wölfflin Scipionum elogia antiquissima [CIL I 30. 32] circa a. 200 demum ab Ennio confecta esse contendit.

6. Epistularum, quas Ausonio misit Paulinus Nolanus, genuina memoria ex Ausonii codicibus repetenda est.

VITA.

Natus sum Felix Jacoby die XIX. mens. Mart. a. 1876 Magdeburgi patre Oscar matre Gertrud e gente Loewenthal. fidei adscriptus sum evangelicae.

Litterarum elementis primis imbutus vere a. 1885 inter discipulos paedagogii Beatae Virginis receptus sum, ubi cum ab aliis praeceptoribus tum a Carolo Urbano, cuius sub auspiciis adhuc floret gymnasium illud, ad philologiae studium incitatus sum. deinde post annos novem maturitatis testimonium adeptus vere a. 1894 Friburgum me contuli, ubi per sex menses virorum doctorum scholis interfui. tum Monaci per quater sex menses versatus universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem adii ibique per octo semestria scholas frequentavi.

Docuerunt me viri clarissimi Friburgenses: Holtzmann, Kluge, B. Schmidt, Schroer, Thurneysen; Monacenses: Carrière (†), de Christ, Furtwaengler, Heigel, de Hertling, Lipps, J. de Mueller, Oberhummer, Paul, Scherman, Traube, Weymann, de Woelfflin; Berolinenses: Diels, Hirschfeld, Huebner, Kirchhoff, Koehler, Lehmann, Paulsen, J. Schmidt, Sieglin, Stumpf, Thomas, Vahlen, Wattenbach (†), de Wilamowitz-Moellendorff.

E quibus, ut exercitationibus interessem philologis, benigne mihi permiserunt viri illustrissimi de Christ, Diels, de Mueller, de Wilamowitz, historicis Hirschfeld, Koehler, Lehmann, palaeographicis Traube Wattenbach. Proseminarii Regii sodalis fui ordinarius per bis sex menses, extraordinarius per semestre unum.

Quibus omnibus viris doctissimis optime de me meritis gratias et nunc ago quam maximas et semper habebo, imprimis autem Hermanno Diels et Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff praeceptoribus dilectissimis mihique benevolentissimis.
